Idem ſanciverunt Concilia Rhemenſe an. 1583. tit. *de Baptiſmo*, *n.* 10. Turonenſe eodem anno cap. *6. de Baptiſmo*, Aquenſe an. 1585. ſub eodem Titulo, Toloſanum an. 1590. part. 2. c. 2. num. 5. Synodus Ebroicenſis Diæceſana an. 1576. quæ & Brevi Apoſtolico ſanctiſſimi Pontificis Pii V. vetitum teſtatur, ne Calviniſtæ extra Eccleſiam Catholicam baptizati iterum tingantur ſub conditione; atque definitum fuiſſe, verum eſſe Baptiſma, quo uterentur Calviniſtæ adhibentes formam & materiam inſtitutam a Chriſto cum intentione generali faciendi, quod Chriſtus inſtituit, licet errarent in particulari interpretatione, & ſingulari intentione, ut alii fere omnes Hæretici errarunt, vel circa intelligentiam formæ baptiſmalis, vel circa aliquem jus effectum.

De Pœnitentia

PROPOSITIO VI.

THeſis. Contritio imperfecta, quæ & attritio dicitur, debet eſſe ſupernaturalis, & ex motivo honeſto, ut ex turpitudinis peccati conſideratione, aut ex metu gehennæ; tunc autem ſufficit ad valorem, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ, ut certo colligitur ex Concilio Tridentino.

Cenſura. *Hæc propoſitio, quatenus aſſerit, certo colligi ex Concilio Tridentino ſervilem attritionem ad valorem, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ ſufficere, falſa eſt, & temeraria. Quod vero ſpectat caput ipſius dogmatis, an attritio ſupradicta abſque aliquo actu dilectionis Dei ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ ſufficiat, a Cenſura Theologica cenſemus abſtinendum ab reverentiam Decreti Alexandri VII. die 5. Maji an. 1667. editi: quamvis opinionom in Theſi aſſertam minus probabilem, nec tutam in praxi cenſeamus.*

Probatio Cenſuræ. Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 6. Diſponuntur ad juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt; atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore: ILLUMQUE TANQUAM OMNIS JUSTITIÆ FONTEM DILIGERE INCIPIUNT; ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare mandata divina. *Idem can.* 3. Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, abſque adjutorio hominem credere, ſperare, DILIGERE, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut eis gratia juſtificationis conferatur, anathema ſit. *Andreas Vega Concilii Theologus Libr. 6. in Conc. Trid. cap.* 90. Hęc verba, *inquit*, aperte docent, neceſſe eſſe diligere Deum, ut juſtificationis gratia conferatur. *Concilium vero alibi, ſcilicet ſeſſ. 14. c. 4. hæc altera habet.* CONTRITIO, quę primum locum inter dictos actus Pœnitentię habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine per Baptiſmum lapſo ita demum prępárat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinę miſericordię, & voto pręſtandi reliqua conjunctus ſit, quę ad rite ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud (1) *Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis; & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Illam vero contritionem, quæ & attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennę, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe venię, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentię per ſe ad juſtificationem perducere nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.

Joelis cap. 2. *v.* 12. Convertimini ad me in toto corde veſtro. *Corinth.* 2. *cap.* 15. *v.* 22. Si qui non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, Maran Atha. Joannis cap. 3. v. 44. Qui non diligit, manet in morte. *S. Auguſt. Lib. contra Adimant. cap.* 17. Hęc eſt breviſſima, & apertiſſima differentia duorum Teſtamentorum, Timor, & Amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet. *Idem Epiſt. 115. alias 144. ad Anaſtaſium.* Inimicus ergo juſtitię eſt, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet. Tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum, ſicut gehennas, odit. Tantum porro quiſque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit. *Auctor Sermonis inter Auguſtinianos olim 7. de tempore, nunc 117. in Appendice.* Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei. *S. Petrus Chryſologus ſerm.* 94. Abſolvi vis? Ama. *S. Th. 3. p. qu. 84. art. 6.* Actus virtutis pœnitentiæ eſt contra peccatum ex amore Dei. *Et quæſt. 3. ſupplem. art.* 1. Omnis dolor in amore fundatur. Amor caritatis, in quo fundatur dolor contritionis, eſt maximus.

Pallavicinus *Hiſtoriæ Concilii Tridentini lib. 12. cap.* 10. Didacus Lainius, qui primo loco inter minores Theologos ſermonem habebat, damnans poſteriorem ſecundi partem, dixit: *Sacramento eſſe neceſſariam pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem.* Dilectionem pariter tanquam neceſſariam enumeravit Jacobus Ferrucius Hiſpanus, Segorienſis Epiſcopi Theologus, & per hoc eundem articulum improbavit, cauſſatus, ſolis terroribus minime contineri dilectionem, quæ abſolute neceſſaria eſt, cum Chriſtus pronuntiaverit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; & dilexit,* inquit, *per præteritum, quia dilectio remiſſionem anteceſſit.*

At Melchior Avoſmedianus, tunc Pacenſis Epiſcopi Theologus, poſtea regreſſus ad Pii Concilium Guadicenſis Epiſcopus dixit: *Prius nos propter pœnæ metum dolere, dein propter Deum, poſtea vero, ajebat, peccata confitemur.* Et Bernardus Colloredus Dominicanus Forolivienſis Epiſcopi Theologus tanquam neceſſaria numeravit timorem, deteſtationem, ac fidem, ex qua ſpes oriatur, & ab hac dilectio. Ejus ſententiæ fuit Franciſcus Contreia ex Ordine Minorum Obſervantium. Et revera, quantum ex actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error Hæreticorum damnaretur, tanquam inhoneſtum improbantium pœnæ timorem, non item ut ferrent ſententiam de Scholaſtica quæſtione, an hujuſmodi timor non ſolum abſque contritione animi perfecta, de quo controverſia vix fuit, ſed etiam abſque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem in Sacramento. Id vero clare liquet ex ipſa probatione Concilii qua hujus articuli doctrinam firmat cap. 4. nimirum Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipſis profuiſſe, cum certum eſſet eo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ adhuc non extabat, eam formidoloſam pœnitentiam minime ſufficiſſe per ſeipſam ad peccatum delendum; ſed vim tantummodo habuiſſe ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur caritatis affectus, quem omnes neceſſarium fuiſſe fatentur ante novam Legem ad juſtitiam recipiendam.

In Patrum Conventu id pauci attigerunt. Aliquod duntaxat veſtigium comperio opinionis negantis neceſſitatem amoris in iis, quæ Granatenſis diſputavit. At vero Joannes Æmilianus Hiſpanienſis Tudetanus Antiſtes extremum oppoſitæ ſententiæ tenuit: hoc eſt, opus eſſe contritione perfecta; nec tamen hinc argui, per Sacramentum peccata non remitti, quippe quæ Sacramentum jam invenit remiſſa præeuntis contritione efficacitate: ſiquidem ajebat: *ipſa contritio id præſtat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur.*

Præterea oportet ſcire, poſtea Decretis doctrinam complexis verba hęc fuiſſe adjecta: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta ſit, & ſolum vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, qui ſervilis timor dicitur, concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de commiſſis delictis exprimat, ſtatuit hæc Sancta Synodus, & declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, ut quidam blaſphemare non verentur, verum etiam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem, ac donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum veriſſimum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat, viam ſibi ad juſtitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam diſponitur.* Sed laudatus Epiſcopus monuit, falſo dici hujuſmodi dolorem ſine amore vix unquam concipi poſſe: quod autem hæc attritio ſatis eſſet

(1) *Ezechielis cap.* 18. *v.* 13.

ſet Sacramento conſtituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata abſolutionis vi, variare Auctorum ſententias, adeoque id eſſe tollendum: quamobrem Decretum, ſicuti nunc exſtat, reformatum eſt.

Propoſitionem ſupradictam, quatenus ex Concilio Tridentino certo colligi aſſerit, attritionem ex ſolo metu pœnarum conceptam ſufficere ad valorem, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ, damnaverunt olim Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Senonenſis *Ludovicus Henricus de Goudrin* conceptis verbis in cenſura Apologiæ Caſuiſtarum die 3. Septembris an. 1658. & Byturicenſis *Anna de Levy de Vantadour* in ejuſdem Apologiæ cenſura die 6. Februarii an. 1659. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Rothomagenſis *Jacobus Nicolaus Colbert* in Mandato ſeu Epiſtola, & Inſtructione Paſtorali dato 28. Martii an. 1697. occaſione Libelli anonymi inſcripti: Difficulates propoſitæ &c.

Dominicus Soto Conc. Trid. Theologus, in 4. Sent. diſt. 19. qu. 1. art. 9. Non eſt articulus fidei, quod attriti, per Sacramentum contriti fiant. Non eſt enim expreſſa Evangelica aſſertio aut Eccleſiaſtica definitio, neque apud Auguſtinum, aliumve iſtius claſſis Auctorem reperitur; ſed eſt ſolum Scholaſticorum collectio, quæ, quanquam vera, non eſt certe digna, cui bilances noſtræ perpetuæ ſalutis, aut damnationis confidamus. *Idem in quartum diſt.* 18. *quæſt.* 3. *art.* 3. Revera, qui mihi diceret, ſe non dolere de peccatis propter Deum, abſolvere non auderem. *Suarez in 3. p. quæſt. 90. diſp. 25. art. 4. ſect. 4. num.* 17. Licet ſit probabilis opinio, attritionem cognitam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, tamen non certa, & poteſt eſſe falſa. Quod ſi fortaſſe ita eſt, probabilis iſta exiſtimatio non ſufficit, ut homo ſalvetur. Ergo qui ſciens, & evidens ita ſe mori permittit, exponit ſe periculo morali damnationis æternæ: nam ubi eſt morale dubium, eſt morale periculum, præſertim in re tam gravi. Hic autem eſt morale dubium, cum illa opinio nec valde antiqua ſit, nec multum communis.

Tutum itaque non fuerit opinionem in Theſi aſſertam, in praxi ſequi, ne in errorem ab Innocentio XI. beatæ memoriæ Pontifice damnatum incidatur. (1) *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore … Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.* Quę propoſitio, ut & alię 64., ut minimum *ſcandaloſa eſt, & in praxi pernicioſa*, & uti talis damnata.

EPISTOLA QUINTA.

Cujuſdam Theologi ad RR. PP. Jeſuitas data:
De Gratia.

SApientes qui ſunt Theologi, utrum injuria dixerim vel ne, veſtrorum, RR. PP. mei, Auctorum, Theologorumque de Gratia opiniones conformes eſſe Semipelagianorum erroribus, ſuo judicio ſtatuent, quando opiniones examinaverint Ludovici Molinę Hiſpani, a quo vobis Moliniſtarum nomen eſt derivatum, ſicut a S. Thoma, cujus doctrinam ſectantur, Thomiſtarum nomen traxere Dominicani. Exponam autem oportet Molinæ de Gratia ſenſus; &, utrum vos eos ſuſtinueritis, & ſuſtineatis, ad examen revocem: ut inde juſtum de vobis proferri judicium queat, quod ad Semipelagianiſmum ſpectat; cujus Societatis veſtræ Theologi & multis jam ab hinc annis accuſati, & a magni ponderis præjudiciis pronunciatis convicti fuerunt.

I. Molina itaque affirmat, & tuetur (2) „ Hominem ſuis naturalibus viribus cum ſolo generali Dei concurſu credere poſſe actu, qui ſit mere naturalis, ſupernaturalia myſteria, tanquam a Deo revelata, cujuſmodi ſunt, Deum eſſe Trinum in Perſonis, Chriſtum eſſe Deum, & ſimilia. (3) In hoc caſu Deus per certam quandam legem, quam cum Filio ſuo ſtatuit, homini huic gratiam, & auxilia ad credendum, ſicut oportet, ut æternam ſalutem ſuam conſequatur, neceſſaria elargietur.

II. „ Homines (4), qui nondum ad dignitatem Filiorum Dei ſunt evecti, talem ut evehantur, poteſtatem habere: & ſi naturalibus viribus ſuis efficere conantur, quod ex ſe poſſunt, ut fidem amplectantur, aut peccatorum ſuorum pœnitentia afficiantur, Deum illis conferre gratiam prævenientem, qua id faciant, quod oportet ad ſalutem.

III. (5) „ Poſſe nos ad gratiam per naturales conatus noſtros noſmetipſos diſponere, eo quod Deus gratiam ſuam illis non negat, qui, quantum ex ſe poſſunt, ut illam obtineant, efficiunt: ex quo ſequi, Deum excitare peccatorem ad ſupernaturalem concipiendum timorem, quando ipſe peccator ſuorum delictorum dolorem habere conatur, eaque de cetero amplius non committendi propoſitum facit timoris mere naturalis motivo; & in hoc caſu peccator actum ſupernaturalem attritionis elicit, talem quidem, qualis ad peccatorum remiſſionem eſt neceſſarius.

IV. „ Vocationem internam (6) cujuſcunque Infidelis ad fidem, & internam excitationem Fidelis ad pœnitentiam per gratiam prævenientem, immo & illuſtrationes, & auxilia, quibus juſtificati a Deo auxiliantur, tum ut majora Spiritus Sancti incrementa percipere mereantur, tum ne tentationibus ſuccumbant, multum pendere a libero arbitrio illius, qui eſt vocatus, atque excitatus.

V. „ Hominem (7) ſolis liberi arbitrii viribus cum concurſu generali Dei elicere poſſe actum abſolutum mere naturalem amoris Dei ſuper omnia … licet illum elicere nequeat eadem facilitate, atque promptitudine, quibus eum in ſtatu innocentiæ eliceret.

VI. „ Deum nulli adulto (8) negare auxilia ad perſeverandum ſufficientia; & poſſe hominem, ſi vult, non perſeverare, etiamſi perſeverantiæ gratiam habeat: quinnimo duo eſſe neceſſaria ad perſeverantiæ donum, alterum ex parte Dei, videlicet quod Deus jam ſtatuerit auxilia elargiri, quibus hominem, dummodo vellet, perſeveraturum eſſe, prævideret; alterum vero ex parte liberi arbitrii, quod eſt veluti conditio, ſine qua hæc auxilia elargiendi voluntas non eſſet vera donum perſeverantiæ dandi volnntas; videlicet quod homo ita cooperari debeat, ut reipſa perſeveret … Non eſt ergo aliquid aliud neceſſarium ad perſeverantiæ donum, niſi habitualis gratia, & gratia quidem ſufficiens, juxta Molinam.

VII. „ Præter prævenientis gratiæ (9) auxilium, & generalem Dei concurſum, neceſſarium non eſſe aliud peculiare gratiæ auxilium, ut liberum arbitrium ſalutares fidei, ſpei, & pœnitentiæ actus elicere queat. Etenim ex ſolis his principiis ſequeretur effectus, etiamſi Deus cujuſcunque alterius gratiæ auxilium denegaret.

VIII. (10) „ Deum conatus noſtros expectare, & ordinarie ſpeciales gratias ipſum illis tribuere, qui naturæ, liberique arbitrii viribus conatus edunt ad ſalutem, deſiderando, rogando, ſeque diſponendo ad gratiæ auxilia obtinenda; licet quandoque Deus ipſe nos præveniat.

IX. „ In naturæ (11) corruptæ ſtatu hominem ſufficientes vires habere, tum ut vehementioribus tentationibus reſiſtat, tum ut majores difficultas exſuperet, ſine divinæ gratiæ auxilio.

X. (12) „ Propter Adami peccatum liberum hominis arbitrium non amiſiſſe dona naturalia ad naturalem finem relativa, ſed dona tantum gratuita, & ſupernaturalia: Vires naturales æque integras poſt peccatum manſiſſe, ac fuiſſent in puræ naturæ ſtatu, in quo nullum adfuiſſet peccatum. Et quum Concilia Arauſicanum, & Tridentinum definierint, totum hominem & quoad corpus, & quoad animam in pejus fuiſſe mutatum, vulneratum, viribuſque fractum; intelligendam non eſſe hanc ſtatus hominis mutationem, extenuationemque hanc virium ad literam, ſed cum comparatione duntaxat cum innocentiæ ſtatu.

XI. (13) „ Infantes ſine Baptiſmate mortuos poſt generalem corporum reſurrectionem felicitate naturali eſſe fruituros.

XII. „ Gratiæ (14) efficaciam a libero arbitrio pendere, eamque a Deo nequaquam oriri; & poſſe ulla abſque hæſitatione inter errores contra fidem contrariam ſententiam recenſeri, utpote quæ libertatem deſtruit.

XIII. „ Liberum arbitrium, (15) & gratiam duas par-

(1) *Decretum Innocentii XI. 2. Maii 1679. Propoſitio I. ex 65. damnatis.* (2) *Molinæ Errores.*
(3) *Concord. quæſt. 14. art. 13. diſp.* 7. (4) *Concord. quæſt. 14. art. 13. diſp.* 10. 11.
(5) *Ibid. diſp. 14. memb.* 5. (6) *Ibid. diſp.* 9. (7) *Ibid. art. 13. diſp. 14. memb. 3. & diſp. 19. memb.* 6.
(8) *Ibid. quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. ult. & memb.* 9. (9) *Concord. quæſt. 14. art. 13. diſp.* 19.
(10) *Diſp. 9. 10. & 14. memb.* 5. (11) *Diſp. 19. membr. 1. 2. & 5.* (12) *Quæſt. 14. art. 13. diſp.* 3.
(13) *Concord. quæſt. 24. art. 4. & 5. memb.* 8. (14) *Quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. & quæſt. 14. art. 13. diſp.* 43. (15) *Quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb.* 11.

„ partiales cauſas eſſe, quod ad pietatis actiones pertinet: liberum arbitrium ex ſemetipſo poſſe ſe ſe & applicare, & movere ad ſupernaturales actus, quin a Jeſu Chriſti gratia vires accipiat, quibus ad actus illos ſe ſe determinet: motionem denique, & excitationem gratiæ, quas nos in nobis ipſis moraliter producimus, ſufficere ad potentiam illam adjuvandam, qua in creatione nos Deus donavit.

XIV. (1) „ Liberum arbitrium creatum ſuæ ipſius determinationis principium eſſe; adeo ut in operationibus ſuis, ut ſe ſe determinet, a nullo alio principio, a quo præveniatur, dependeat: ſed ſolius libertatis, quæ ei naturalis eſt, virtute ſe ſe ad actiones morales determinare, vel a ſola gratia excitante ad actiones omnes ſupernaturales.

XV. (2) „ Deum nunquam abſoluta, & efficaci voluntate velle bonas illas actiones, quæ a libera voluntatis noſtræ cooperatione dependent, ſed ſub hac conditione tantum, quod eas velit liberum arbitrium; & hanc eſſe rationem, qua Deus, omnes homines ſalvos fieri, vult, nimirum ſi ipſimet id velint.

XVI. (3) „ Prædeſtinationem, illudque omne, quod in ea continetur, ita a recti liberi arbitrii uſus præſcientia pendere, ut ſine recti hujuſce uſus præviſione ipſa minime eſſet prædeſtinatio vera, certa, atque infallibilis, ſed providentia duntaxat generalis relativa ad hominis beatitudinem.

XVII. (4) „ Jeſum Chriſtum, ut hominem, ad Filii Dei dignitatem fuiſſe prædeſtinatum, eo quod Deus præviderit, quod ille facturus eſſet meliorem, quam ceteri homines, ſui liberi arbitrii uſum.

Hos Molinæ ſenſus, RR. PP. mei, Pelagianiſmo, aut Semipelagianiſmo eſſe infectos, ſuo judicio ſtatuit celeberrima Congregatio *de Auxiliis*, a qua comparati fuerunt cum Fauſti Rejorum Apollinarium Epiſcopi, & Caſſiani ſcriptis, & cum SS. Auguſtini, & Proſperi contra Pelagianos, & Semipelagianos doctrina, nec non tandem cum Conciliorum Africæ, Synodi Arauſicanæ, Innocentii I., Zoſimi, Cœleſtini I. & S. Leonis contra hos Hæreticos definitionibus. Cardinalis Bellarminus ipſemet in ſuis de Gratia, & de Libero Arbitrio Controverſiis, hos Molinæ ſenſus a Pelagianorum, & Semipelagianorum erroribus nihil differre demonſtrat. Acta vero Congregationis *de Auxiliis* a P. Coronello ejuſdem Secretario ſcripta, quorum exemplar Romæ in Angelica Bibliotheca extat, & conſervatur, id, quod aſſero, aperte teſtantur. Quod ſi vobis hac de re aliquod dubium ſupereſt; in q. Dm. Colbert Bibliotheca, quam nunc Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Rothomagenſis Archiepiſcopus ejus Filius poſſidet, apographum authenticum reperitur: & Baluzius, qui non minori urbanitate, quam eruditione, pollet, ſi id ab eo petieritis, poterit illud vobis exhibere, & monſtrare.

Verum autem eſt, hos errores omnes nondum ſub Molinæ nomine fuiſſe cenſura publica, ſolemnique Eccleſiæ definitione condemnatos; promulgatio namque Decreti, quod Paulus V. jam præparaverat, fuit quodam tempore ſuſpenſa; at vero nihil certe hæc ſuſpenſio impedit, quominus hujuſmodi Molinæ ſenſus ab Eccleſia, quæ Pelagianorum, & Semipelagianorum proſcripſit propoſitiones, cenſeantur damnati. Et Cenſuræ facultatum Theologicarum Salamanticæ, Lovanienſis, & Duacenſis, nec non doctrinale judicium, vel, ut Romæ loqui amant, omnium Conſultorum Congregationis *de Auxiliis* vota, omnium Conſultorum, inquam, ſi ſolum Bovium Carmelitam Regentem excipiamus, qui nunquam hac de re eandem cum Conſultoribus aliis amplexus eſt ſententiam, ſunt profecto terribilia contra omnes Molianiſmi recenſitos articulos præjudicia.

Quæſtio autem hic agitur, RR. PP. mei, utrum vos articulos iſtos ſuſtineatis, aut iiſdem nuntium remittatis. Si eos tuemini, facile erit vos convincere, doctrinam veſtram Pelagianam eſſe, aut Semipelagianam: ſi vero iiſdem ſincere, ſine ambiguitate, & æquivocatione nuntium dicitis, ab omni Pelagianiſmi, & Semipelagianiſmi ſuſpicione eritis immunes. Interim tamen extra omnem dubitationis aleam perpetuo erit, Societatem veſtram errores iſtos defendiſſe, utpote quæ in celebri Congregatione *de Auxiliis* omnes ſupradictos Molinæ articulos defendit, & propugnavit. Nec quidem injurioſa vobis, RR. PP. mei, eſſe mea hæc verba poſſunt. Enimvero idem S. Auguſtinus, ſicuti ipſemet (5) teſtatur, Semipelagianus fuit; & Gratia lumen ei præbuit, quo, quæ prius ſenſerat, rejecit; omnibuſque ſui ingenii viribus errorem illum, in quem fuerat olim lapſus, poſtea refellit, acriterque impugnavit.

Examinemus itaque, utrum Societas veſtra erroneis Molinæ opinionibus nuntium remiſerit: & P. Daniel aliquam hac de re idoneam veritatis inveniendæ rationem nobis præbebit. Audiamus proinde ejuſdem verba, quæ in quinta ad P. Alexandrum ipſius Epiſtola inveniuntur (6). „ Opus eſt, ait eundem P. Alexandrum alloquens, opus eſt, R. P. mi, ut error tibi eripiatur, ſi adhuc vulgari falſa opinione teneris, Jeſuitarum de Gratia, & de Prædeſtinatione doctrinam eandem eſſe cum doctrinà Molinæ. " Eſtne ergo verum, RR. PP. mei, vos non amplius eſſe Molinianos? Si res ita ſe habet, dextera Excelſi hanc operata eſt mutationem, & in hujuſmodi mutatione agnoſcamus oportet effectum gratiæ Moliniana gratia certe efficacioris. *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

At quæſo, me poſſe falli, non diffiteor; ſed tamen temporis, locique circumſtantiæ efficere potuerunt, ut auxiliis generali ope de veſtra deſcenderetis ſententia. Hi enim Moliniſmi articuli, quos ſupra expoſui, hiſce temporibus & communiter rejiciuntur, & ab Epiſcopis condemnantur; ita quidem, ut non amplius Moliniſmus uſuveniat. Idque ſolum potuit vos determinare, ut veſtram de Gratia, & de Prædeſtinatione doctrinam eandem non eſſe cum doctrina Molinæ diceretis. Quid igitur? Eſt ne Moliniſmus larva quædam, & ſpectrum? P. Daniel perſuadebitne Mundo, Moliniſmum eſſe ſectam quandam imaginariam; ſicut Janſeniſmum hæreſim imaginariam eſſe, ſcribere auſi ſunt Janſeniſtæ? Si veſtra Societas Molinæ opinionibus non amplius adhæret, inveniënturne in Mundo Moliniſtæ? Æquivocorum Parens ſincere ne loquitur, quando aſſeveranter affirmat (aſſeveratione illa quidem, qua ut ipſe uti poſſit, veſtra ei Societas concedit) Jeſuitarum de Gratia, atque de Prædeſtinatione doctrinam eandem nequaquam eſſe vera doctrina Molinæ? Nimis probus, rectuſque eſt ei animus; ipſique religio certe eſſet nos fallere. „ Verum eſt, ait, Jeſuitas Theologi hujus Doctrinam non condemnare . . . & liberum eſt Societati Theologis Molinæ ſequi opiniones; ſed illas amplectendi præceptio non extat: & in hac opinandi libertate, qua Socii gaudent, eorum tot contra Molinam ſentire, quot pro eo pugnare, conſpicio. " Jeſuitæ ergo, ſi volunt, Moliniſtæ ſunt; ſunt conſequenter, ſi id ipſis placet, Semipelagiani, propterea quod ſuſtinere poſſunt „ Deum homini prævenientem gratiam, & auxilia, quibus cunctas actiones ſuas peragat, ut oportet, ad ſalutem, concedere, & elargiri; quotieſcunque liberum arbitrium naturalibus viribus ſuis aut conatur, aut præſto eſt conari, illud omne efficere, quod per ſemetipſum valet, tam ut intelligat, & amplectetur fidei veritates, quam ut peccatorum ſuorum dolorem percipiat, juſtificationemque obtineat: " Jeſuitæ, inquam hunc Molinæ errorem defendere poſſunt, ſicut & illos ceteros omnes, quos ſupra adnotavi; & eorum nihilominus de Gratia, & de Prædeſtinatione doctrina eadem minime erit cum doctrina Molinæ, eo quod eam amplectendi præcepto non adſtringuntur. Oh admirabile calliditatis inventum, quo ipſi opiniones omnes & novas, & falſas, & erroneas, quæ in Dogmatica, aut in Morali Theologia probabiles iiſdem videntur, defendere queant, quin ceu Societatis opiniones habeantur; eo quod eaſdem tuendi, ſequendique nullum ipſos obſtringat præceptum. At vero an non errorem approbat, qui illi non contradicit? An non ſe ſe noxium reddit, qui ſilentium obſervat; quando, quin ulla fiat oppoſitio, erroneam, falſamque tueri doctrinam, intelligit? Quum autem eam præterea permittit, majori quidem noxa reus evadit. Id non vos latet, RR. PP. mei; Sanctiſſimuſque Romanus Pontifex Cœleſtinus I. nos hoc docet inquiens: '*In talibus caſibus non caret ſuſpicione taciturnitas; quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Merito namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori.*

Sed libenti animo mihi perſuadeo, RR. PP. mei, Molinæ errores, quos ſupra expoſui, ſincere vos deſeruiſſe, nec adſciviſſe, niſi ſyſtema ſcientiæ mediæ, & gratiæ libero arbitrio ſubjectæ, & nonniſi per voluntatis conſenſum efficacis. At hoc ipſum ſyſtema, quoad ejus ſubſtantiam, Semipelagianum re quidem ipſa eſt,

Theo-

(1) *Concord. diſp. 23. & quæſt. 14. art. 3. diſp. 12.*
(2) *Quæſt. 14. art. 13. diſp. 33.* (3) *Quæſt. 23. art. 4. diſp. 1. memb. 2.*
(4) *Quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11.* (5) *Lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 3.*
(6) *Epiſt. V. ad P. Alexandrum pag. 4.*

Theologoſque veſtros in errores illos præcipites dejicit, quos S. Auguſtinus, & S. Proſper refellerunt, quoſque damnavit Eccleſia.

P. Daniel fateri debet, Semipelagianos ſcientiam mediam propugnaſſe, eaque uſos ipſos eſſe, ut ſuam hæreſim ſtatuerent, & firmarent (1). S. Proſper, & S. Hilarius, dum eorum errores ad S. Auguſtinum referunt, eos hujuſce ſyſtematis auctores eſſe, affirmant.

Hi porro SS. Patres, conditionatorum ſcientiam ante Dei decretum novum inventum eſſe, autumant; & chimericum eſſe, maximeque abſurdum, arbitrantur, admittere, tanquam præſcientiæ divinæ objectum, res, quæ nunquam futuræ ſint, & affirmare, Deum, ut futurum, prævidere, quod nunquam eſt ipſe acturus. *Et quia*, ait S. Proſper (2), *præterita non extant, futura quæ non ſunt futura, confingant; novoque apud illos abſurditatis genere & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint*. S. Auguſtinus vero aſſerit, Dei omnino deſtrui præſcientiam, ſi tanquam ipſius objectum id dicitur eſſe, quod nunquam eſt extiturum; & docet, ſine divini decreti injuria intelligi propoſitionem illam debere, qua Deus per præſcientiam ſuam conditionata cognoſcere dicitur, *ſine præjudicio latentis Dei conſilii* (3); ſicut quum in Sapientiæ Libro dictum eſt (4) *Raptus eſt* (juſtus) *ne malitia mutaret intellectum ejus*; id certe *dictum eſt ſecundum periculum vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; id eſt quod ei mortem immaturam erat præſtiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto, non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet*. Veſtrum ergo ſcientiæ mediæ ſyſtema eſt, RR. PP. mei, novitas quædam periculoſa. Et Molina non illud invenit media Sacrarum Scripturarum Meditatione, ſicut veſter ipſe Propheta teſtatur; non illud didicit a S. Auguſtino, ſicut ipſemet ultro concedit; ſed Semipelagiani ejus Magiſtri fuere, quibus propterea hocce inventum acceptum referre debet.

Negari porro nequit, ait P. Daniel (5), Semipelagianos ſcientiam mediam admiſiſſe; at vero non per hoc duntaxat, quod eam admiſerint, Semipelagiani fuerunt, ſed eo quod male ipſa uterentur, dum rationem reddere ſtudebant diſcriminis illius, quod Deus inter duos infantes recentes natu ſtatuit, quorum unus ante Baptiſmum, alter vero nonniſi poſt ipſius ſuſceptionem moritur. Dicebant enim, Deum ideo ex his infantibus uni Baptiſmum concedere, quia jam prævidet, quod ille, ad rationis uſum ſtatim ac perveniſſet, bene fuiſſet ſua libertate uſus; dum in altero e contrario futurum præſcit libertatis ipſius abuſum. Si ergo Societatis veſtræ Theologi eadem ratione ſcientia media utuntur, ut prædeſtinationem, reprobationemque parvulorum explicent; ſine veritatis injuria dicere poterimus, eoſdem eſſe, ob id ſaltem quod hanc tuentur ſententiam, Semipelagianos. Porro veſter P. Gisbertus (6) celebris ille Toloſæ Profeſſor eandem illam doctrinam tradit, quam Semipelagianorum hæreſim eſſe, P. Daniel fatetur. *Efficacia voluntatis*, ait, *ſalvandi aliquos parvulorum pendere poteſt a libertate aliqua conditionata parvulorum, non tanquam a merito, ſed tanquam a cauſa finali, aut, ſi mavis, a mera conditione*. Semipelagiani paſſi certe eſſent hanc doctrinam, & frivola *meriti*, *cauſæ finalis*, aut *conditionis* diſtinctio non eis impedimento fuiſſet, quominus P. Gisbertum, ceu ſententiæ ſuæ adſtipulatorem, haberent.

De illo autem P. Gisberto loquor, qui eloquentiæ operibus celebrior eſt, quam Theologiæ ſcientia, in qua quidem judicium ſuum ſuæ eruditioni æquale eſſe, demonſtravit. Et en duo, quibus id apertum fiet, exempla. In quadam latina gratulatoria Oratione (7) pro Magni Regis noſtri incolumitate, de qua Gallia univerſa tot vota fecit, & pro qua tot Deo gratias egit, Jeſuita hic Regis vulnus cum Sacroſanctis Salvatoris noſtri vulneribus comparavit, & blaſphemia utendo, quam Regis ipſius Majeſtas certe horruiſſet, & in quam ſevere animadvertiſſet, ſi perveniſſet ad ipſius aures, blaſphemia, inquam, utendo, ad Regem illa Iſajæ Prophetæ verba deflectit, quæ Salvatori tantum conveniunt: *Livore ejus ſanati ſumus* (8): ſicut

& illud alterum ejuſdem Iſajæ (9) oraculum, quod Jeſum Chriſtum duntaxat reſpicit: *Et vocabitur* (10) *magni conſilii Angelus, Princeps pacis, Pater futuri ſæculi, Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Pieta[s] autem Regis, qui major quidem eſt ſua Religione, quam victoriis ſuis, ſuaque in Regni ſui regimine prudentia, pati nullo modo blaſphemas haſce adulationes potuiſſet; Sacraque ipſius Majeſtas huic Oratori ſilentium profecto impoſuiſſet, ſi hujuſmodi Oratio ante ipſius conſpectum fuiſſet pronunciata.

In altera autem latina pariter Oratione, quæ eſt in S. Lucæ laudem, ait (11), quod ſicut Joannes, diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, in ipſius Jeſu ſinu in ultima cœna recumbens ſecreta didicit divina; ita credendum eſt, S. Lucam Sanctæ Virgini acceptiſſimum in ipſius ſinu ſuaviter recumbentem ea didiciſſe ſecreta, quæ nos in ſuo Evangelio docet. *Lucam vero noſtrum quis non crederet in ſinu almæ Matris blande quieviſſe, cui ſecreta ſuſſurraretur.* At vero quam exhibere nobis poteſt incomparabilis Matris Dei, omniumque Virginum Reginæ puritatis ideam hæc comparatio?

Præterea P. Gisbertus addidit (12), conſtantem, indubiamque traditionem eſſe, Sanctum hunc Evangeliſtam ubique ſemper ſecum tuliſſe pictam Sanctæ Virginis imaginem, tum ut ex illius adſpectu lætitiam ipſe perciperet, tum ut eam adſpicerent Gentiles, qui nunquam Mariam vidiſſent: addidit (13) ſibi videri, Mariam dulciori amore S. Lucam, quam S. Joannem dilexiſſe: 1. quia majorem habere ſolemus erga illud animi noſtri propenſionem, quod a nobis oritur, & ſeligitur, quam erga aliud, quod in nos aliunde dimanat; & ipſamet Virgo S. Lucam ſua ſponte ſibi in ſervum, & amicum ſelegerat, dum ex altera parte S. Joannes ei a Jeſu Chriſto datus fuerat, & commendatus: 2. quia S. Joannem ante Jeſu Chriſti morientis oculos, & in amaritudine animæ ſuæ, ceu ſui doloris filium, Maria adoptaverat: *Ei vero Lucas in die lætitiæ poſt Chriſti redivivi triumphum commodius ſupervenerit, ut riſum Matri faceret, & materni amoris blanditias obtineret*. Sed celebrem hunc Societatis veſtræ Profeſſorem derelinquamus, qui meæ hujuſce digreſſionis, de qua venia mihi dabitur, cauſa fuit; & ad ſcientiæ mediæ, & gratiæ libero arbitrio ſubjectæ ſyſtema revertamur.

Quo autem penitius ſyſtema hoc ad examen revoco, eo magis, RR. PP. mei, communes Theologorum veſtrorum de duobus hiſce articulis ſenſus cum Semipelagianorum erroribus eoſdem eſſe, convincor. (14) Semipelagianus namque eſt, qui fidei, bonorumque operum initium a nobis eſſe, affirmat: hic autem error a ſyſtemate veſtro ſua ſponte fluit. Enimvero Deus (15) juxta vos per conditionatorum ſcientiam prævidet, quod, ſi tali homini in circumſtantiis talibus ſuam gratiam elargietur, homo hic & fidem amplexabitur, & ſe convertet, & pietatis actum exercebit. Cognoſcit inſuper Deus, (16) ſuam gratiam efficaciter determinaturam non eſſe hominem hunc ad fidei veritates credendas, aut ad pœnitentiam agendam; ſed potius ipſummet ſe ſe determinaturum, cujus proxima determinationis cauſa erit liberum arbitrium cum generali, & indifferenti Dei auxilio, qui, nos gratiæ aſſenſum præbere, non abſolute vult, ſed ſub ea conditione, quod eum præbere nos ipſi velimus. Hinc quando infidelis animo ſecum ponderando reputat, utrum in falſa ſua Religione immorari, aut Chriſtianæ militiæ nomen dare debeat; & ex una parte tum rationis, cum affectuum præjudicia, & repugnantiæ, quæ in ipſo ſunt, in avita Religione eum retinent; ex altera vero Evangelii prædicatio, lumenque illud, quod Deus ſuper ipſum emittit, & diffundit, eum movet, & excitat ad Chriſtianam fidem amplectendam: ſi ſemper in ea, in qua invenitur, fluctuatione perſeverat, nunquam ſe ſe convertet. Opus eſt ergo, ut ipſemet ſe ſe ad amplectendam Chriſtianam fidem, religionemque determinet. Sic cupiditas ex una parte, ex altera vero gratiæ excitatio cauſa ſunt, qua peccator de converſione ſua ſecum cogitet: & ſi in fluctuatione manet, nunquam aget pœnitentiam. Neceſſe eſt ergo, ut ad eam agendam ſe ſe ipſemet deter-

minet.

(1) *Semipelagiani ſcientiæ mediæ auctores.* (2) *S. Proſper Epiſt. ad S. Auguſtinum.*
(3) *Lib. de Prædeſt. Sanct.* (4) *Sap. cap. 4. v. 11.* (5) *Theologi Jeſuitæ, ſicut Semipelagiani, ſcientia media abutuntur.* (6) *Scientia Religionis, ſeu Theologiæ cum Eccl. Hiſtoria ſociata. Tom. 2. pag. 359. Pariſ. apud Michalet.* (7) *Pro Rege incolumi Oratio Gratulatoria. Tom. diſſert. Acad. pag. 118. apud Michalet.*
(8) *Iſai. cap. 53. v. 5.* (9) *Orat. Gratul. pag. 78. & 79.* (10) *Iſai. cap. 9.*
(11) *Orat. de S. Luca Evang. pag. 129.* (12) *Ibid. pag. eadem.* (13) *Ibid. pag. 128.*
(14) *Jeſuitarum ſyſtema Semipelagianorum errores continet.*
(15) *Prima inter Jeſuitarum ſyſtema, & Semipelagianorum errores ſimilitudinis nota.*
(16) *Suarez Lib. 1. Opuſc. cap. 15.*

minet. Hæc porro determinatio, bona hæc reſolutio primus eſt infidelis, aut peccatoris converſionis gradus. At vero hæc determinatio eſt in ſyſtemate veſtro non quidem gratiæ, ſed liberi arbitrii effectus. Et voluntas cauſa ipſius prima, & proxima eſt; quia non vult Deus abſolute, hunc infidelem amplecti fidem, aut peccatorem hunc agere pœnitentiam; ſed ſupponit, quod amplecti ille fidem, agere pœnitentiam hic velit. Initium ergo fidei, bonorumve operum ex libero arbitrio eſt juxta ſyſtema veſtrum, non vero ex Jeſu Chriſti gratia. Hic porro eſt capitalis Semipelagianorum error. Dici ergo de Theologis veſtris poteſt, ipſos non defendere, ſed deſtruere liberum arbitrium, ut ait S. Auguſtinus; quia libertatis jura tuendi prætextu auferunt a Deo, & ab ejus gratia ſupremum ipſius dominium, dum libertatem hominis faciunt independentem. *Quis deſtruit*, inquit S. Hieronymus (1) *liberum arbitrium? ille, qui ſemper Deo agit gratias, & quodcunque in ſuo rivulo fluit, ad fontem refert? An qui dicit: non habeo te neceſſarium; dediſti enim mihi ſemel arbitrii libertatem, quid rurſum te ingeris, ut nihil poſſim facere, niſi tu in me tua dona compleveris?*

Semipelagianorum (2) error eſt affirmare, Deum voluntatis noſtras expectare, ut nos & convertat, & juſtificet. Et idem hic error, RR. PP. mei, ſequitur etiam, ſuaque ſponte a ſyſtemate veſtro fluit. Deus enim juxta vos per conditionatorum ſcientiam prævidet, quod ſi tali infideli, aut tali peccatori gratiam generalem, quam ſufficientem in talibus circumſtantiis appellamus, elargitur, hic infidelis, aut hic peccator ſe convertet. Et non abſolute ſtatuit per decretum, & per voluntatis ſuæ actum, ſuam gratiam talis infidelis, aut talis peccatoris converſionis futuram eſſe cauſam, rebellem illius, vel hujus voluntatem & movendo, & ad bonum impellendo; ſed, quum jam prævideri, quod ille, vel hic ſe ſe convertet, poſito quod in favorabilibus circumſtantiis generale vel illi, vel huic auxilium elargiatur, ſtatuit talis infidelis, aut talis peccatoris converſionem, ſi ille, aut ille ſe ſe convertere velit. Deus ergo expectat, quod nos ipſi a peccato liberari velimus, ut nos & convertat, & juſtificet. Hæc autem conſequentia, quæ ex principiis veſtris fluit, error eſt Semipelagianorum ab Arauſicano Concilio his verbis damnatus can. 4. *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare, contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infuſionem, & operationem in nobis fieri confitetur; reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti* (3) Præparatur voluntas a Domino, & *Apoſtolo ſalubriter prædicanti* (4) Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.

Error (5) pariter Semipelagianorum eſt, juſtos dono, & gratia ſingulari Dei ad perſeverandum in Chriſtiana juſtitia, & in charitate non indigere. Et hic Semipelagianæ hæreſeos articulus a Conciliis Arauſicano, & Tridentino (6) damnatus eſt. Et S. Auguſtinus in ſuo de dono Perſeverantiæ Libro eum impugnat, & deſtruit. At vero ex ſyſtemate veſtro, RR. PP. mei, error iſte ſuapte fluit. Etenim Deus per conditionatorum ſcientiam prævidet, quod ſi ſuam gratiam tali juſto in circumſtantiis talibus elargitur; juſtus hic, ſui liberi arbitrii conſenſu gratiam iſtam efficacem reddendo, perſeverabit. Et non abſoluto ſuæ voluntatis decreto ſtatuit, quod juſtus perſeverare debeat; nec ei talem elargitur gratiam, qua ad finem uſque vitæ in bono confirmatus infallibiliter perſeveret: ſed gratiam eidem impertit generalem duntaxat, & ſufficientem, qua, poſito, quod velit, perſeverabit. Homo juſtus ergo poteſt juxta vos ſine dono, & auxilio ſingulari gratiæ Jeſu Chriſti perſeverare. Sed clarius me explico. Quando Deus vult juxta vos perſeverantiæ gratiam juſto alicui concedere, illam ei ſufficientem elargitur; qualem elargiri ſolet illis, qui non perſeverabunt; ſed ei illam impertit loco, tempore, aliiſque circumſtantiis, quibus jam prævidit, quod ille perſeverandi voluntatem habebit; & quod re ipſa perſeveraret, ſi opportune eam illi elargiretur. Hujuſmodi autem gratia eſt & in illo, qui perſeverat, & in altero, qui non perſeverat, æqualis; utrique ſufficiens, quantum perſeverantiam finalem ſpectet. Qui perſeverat, non habuit ergo a Deo ſingulare illud donum, donum illud magnum perſeverantiæ, quod non eſt illis conceſſum, qui non perſeverant. Veſtri conſequenter Theologi in Semipelagianorum errorem, ad quem aditus per ſyſtema veſtrum patet, labuntur.

Inutile vero eſt hic regerere, gratiam hanc majorem eſſe reſpectu illius, cui eam Deus elargitur favorabilibus in circumſtantiis, in quibus, illum ſuum ei præbiturum aſſenſum, eique reſponſurum eſſe, prævidit. Sed hæc congruitas, hæc convenientia, hæc gratiæ cum voluntate proportio, juxta ſyſtema veſtrum, ab hujus voluntatis ipſius diſpoſitione, quæ ſuo conſenſu gratiam efficacem reddit, proficiſcitur; & conſequenter perſeverantiæ gratia non eſt ſpeciale, & ſingulare Dei donum, quod homo acceptum referre debeat voluntati ſuæ, cujus conſenſus gratiam hanc ſui ipſius reſpectu gratiam efficiet perſeverantiæ. Aſt conſequentia hæc ex ſyſtemate veſtro directe fluens error eſt contra fidem. Enim vero cognoſcit quidem Deus, evenire poſſe, quod homo juſtus in bono ad vitæ finem uſque a communi gratia adjutus minime perſeverabit; debilis namque homo ſemper eſt, & natura ſua inconſtans. Fortiſſima ergo, & efficaciſſima gratia ad perſeverandum indiget; gratia illa nimirum, qua carnem ſuam cum concupiſcentiis ejus crucifigat, qua Mundum cum omnibus ipſius & erroribus, & illecebris, & violentiis vincat, qua denique Diabolum cum omnibus inſidiis, tentationibuſque illius debellet. Hæc vero omnia magnum illud perſeverantiæ donum præſtat, quod a Deo Dominica oratione petimus. Affirmare itaque, in noſtra poteſtate eſſe per communis gratiæ auxilium perſeverantiam habere, gratiæ quidem illius, quam conſenſu noſtro nos ipſimet efficacem reddimus, idem profecto eſt, ac Dominicam orationem in pleriſque ejus petitionibus inutilem efficere, ut S. Auguſtinus (7) animadvertit. Eſt Deo ipſi illudere, juxta S. hunc Doctorem, ab eo id petere, quod ipſe nobis non tribuit, ſed in noſtra poteſtate eſt, quod, quin illud ille nobis impertiat, habeamus. Deo illudere eſt, gratias ei agere pro perſeverantibus, ſi ille non eſt, qui eos perſeverantes efficiat. *Cur perſeverantia*, ſunt laudati S. Auguſtini verba, *ita poſcitur a Deo, ſi non datur a Deo? An & ipſa irriſoria petitio eſt, cum id ab eo petitur, quod ſcitur, ipſum non dare; ſed, ipſo non dante, eſſe in hominis poteſtate; ſicut irriſoria eſt etiam illa actio gratiarum, ſi ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipſe, nec fecit? An ab illo perſeverantia iſta forte non poſcitur? Jam hoc qui dicit, non meis diſputationibus refellendus eſt, ſed Sanctorum orationibus onerandus eſt. An vero quiſquam eorum eſt, qui non ſibi poſcat a Deo, ut perſeveret in eo, cum ipſa oratione, quæ Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a Sanctis, nihil pene aliud, quam perſeverantia poſci intelligatur?* Prædeſtinati autem ita ſunt ſub omnipotentiſſima Dei manu conſtituti extrema ſaltem mortalis ſuæ vitæ hora, quibuſcunque in circumſtantiis, & quacunque in diſpoſitione reperiantur, ut nihil eos poſſit *a charitate Dei ſeparare, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum*, ut ait (8) S. Paulus. Efficacia ergo perſeverantiæ gratiæ independens prorſus eſt ab his circumſtantiis exterioribus, & a liberi arbitrii conſenſu: ipſa enim non pediſſequa, ſed Domina eſt voluntatum noſtrarum.

Semipelagianus præterea (9) eſt, qui affirmat, nos in ordine rerum ſupernaturalium, & quod ad ſalutis noſtræ œconomiam pertinet, invicem diſcerni; & in nobis aliquod bonum eſſe, quod a Deo non accepimus. Error hic naturaliter ex ſyſtemate veſtro proficiſcitur. *Fieri poteſt*, a vobis dictum reperitur, ubi de ratione ſtudiorum Societatis veſtræ agitis (10), *ut æqualis gratia duobus collata ſit efficax in uno, inefficax in altero, quia non vult conſentire, licet poſſit per ſufficientem gratiam ſine novo augumento*. Hoc autem ſemel admiſſo, qui gratiæ aſſentitur, eamque ſuo conſenſu efficacem reddit, ab eo, qui illi aſſenſum ſuum minime præbet, diſcernitur: nec certe per gratiam ipſam diſcernitur, eo quod utrique æqualiter elargita ſupponitur, nec plus virtutis, efficacitatiſque in primo, quam in ſecundo habet. Diſcernitur ergo per ſolum ſui liberi arbitrii conſenſum, qui efficacem hanc gratiam reddit; neque conſenſum ipſum ſuum gratiæ acceptum referre debet, propterea quod cauſa ea non eſt, qua reipſa conſentiat. Eadem prorſus ratione, qua, cum Rex duos æque gene-

(1) *Epiſt. ad Cteſiphon. contra Pelag.*
(2) *Secunda inter doctrinam Jeſuitarum, & doctrinam Semipelagianorum ſimilitudinis nota.*
(3) *Proverb. cap. 19. juxta* LXX. (4) *Ad Philip. cap. 2. v. 13.*
(5) *Tertia inter Doctrinam Jeſuitarum, & Semipelagianorum ſimilitudinis nota.*
(6) *Concil. Arauſ. can. 10. Conc. Trid. can. 21. ſeſſ. 6.* (7) *Lib. de dono Perſeverantiæ cap. 2.*
(8) *Ad Rom. cap. 8. v. 38.* (9) *Quarta inter Jeſuitarum, & Semipelagianorum doctrinam ſimilitudinis nota.*
(10) *De Ratione Studiorum Soc. Jeſu.*

roſos equos, & æqualia arma duobus Equitibus ad equiria facienda, ad pugnam ineundam elargitur; ille, qui prœmium, victoriamque obtinet, ab altero non equi, nec armorum virtute, ſed eo quod illis bene utendi ſcientia callet, diſcernitur, quæ quidem diſcretio ab ejuſdem duntaxat induſtria pendet. Hic autem Semipelagianorum error, qui ex ſe ipſo a ſyſtemate veſtro fluit, eſt directe contrarius illis (1) Apoſtoli verbis: *quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Præterea contrarius eſt Concilii Arauſicani definitioni can. 20. & 22. dicentis: *Multa facit Deus in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præſtat, ut faciat homo.* Et addit, „ neminem a ſemetipſo habere, niſi „ mendacium, & peccatum, ita profecto, ut ſi in aliquo quædam veritas datur, quædam juſtitia, ab illo fonte utraque fluat, quem in ſicco vitæ hujus deſerto ſemper ſitire debemus, ut ſuper nos aliquot „ ſuarum aquarum guttas effluat, quæ & nos in via „ ſuſtentent, & impediant, quominus aberremus. “ Non eſt ergo aſſenſus, quem gratiæ præbemus, qui nos a non conſentiente diſcernat; ſed hujus ipſius diſcretionis cauſa eſt victrix illa gratia, qua gratiæ ipſi aſſentimur, gratia illa quidem, quæ a voluntate noſtra non dependet, quæ eam ſuo ſubjicit imperio, quæ libero ejuſdem voluntatis arbitrio ſubjecta non eſt, quæ tandem non ideo eſt efficax, quia nos volumus, ſed ideo, quia illa ipſa eſt, quæ præſtat, ut bonum faciamus, efficaciſſimas præbendo voluntati noſtræ vires. *Certum eſt* (2) ait S. Auguſtinus, *nos facere, cum facimus; ſed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Hinc ait in Scripturis Sanctis Deus (3) *faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini* (bonum). Quando autem dicit, *Faciam, ut operemini* (bonum), quid aliud dicit, præterquam quod *Auferam* (4) *cor lapideum de carne veſtra*, quod cauſa erat, qua bonum non operabamini, *& dabo vobis cor carneum*, id eſt cor docile, quo bonum operari poſſitis.

Semipelagiani (5) gratiam voluntati ſubjiciebant, inquantum voluntas ipſa operatur, & gratia bene utitur: & docebant, gratiæ efficaciam a conſenſu, & ab obedientia libertatis pendere; licet ultro faterentur, a gratia certo quodam ſenſu libertatem præveniri, ut S. Proſper in ſua ad S. Auguſtinum epiſtola teſtatur. Porro an non hoc veſtrum eſt, RR. PP. mei, ſyſtema? An non affirmatis, Deum requidem vera voluntates noſtras prævenire generali, & ſufficienti gratia, cujus tamen efficacia ab obedientia noſtra, & a noſtro conſenſu dependet? Quare ergo P. Daniel (6) dicere audet, ſupremum Dei in corda hominum dominium ſuæ gratiæ virtute & in omnibus juribus ſuis conſervari, & ratione Deo ipſo digniſſima juxta ſyſtema veſtrum exerceri? „ Supremum hoc Dei dominium, ait P. Daniel, „ in eo conſiſtit, quod ille poteſtatem habeat mutandi „ corda indocilia, rebellia, indurata, omnibuſque affectibus ſuis derelicta, in corda ſubmiſſa & obedientia, carnea, & flexibilia ad omnes Sancti Spiritus illuſtrationes; in eo conſiſtit, quod in potentiæ „ ſuæ theſauris gratias inveniat, quæ admirabiles hoſce effectus infallibiliter operentur, & quæ abſolutis „ ſuis decretis hominis libertatem ſubmittant. Hoc inſuper ſupremum Dei dominium in eo conſiſtit, quod „ homo non ſit, cujus liberum arbitrium gratiæ reſiſtit, quando Deus illum ſalvare jam decrevit. Velle „ enim, & nolle ita eſt in poteſtate illius, qui vult, „ & non vult, ut hæc poteſtas nihil voluntatem divinam impediat, nec reſiſtat poteſtati Dei, qui id facit, quod vult, per hominum voluntatem; qui omnipotentiſſimam quidem, & abſolutam poteſtatem habet pro lubitu ſuo corda hominum movendi; qui „ eſt magis voluntatis hominum Dominus, quam homines ipſimet ſint, qui tandem poteſt duritiam ab „ humanis cordibus auferre. In eo denique ſupremum „ hoc dominium conſiſtit, quod Deus interius & occulte, admirabili quadam, ineffabilique poteſt te in hominum corda ingerit non ſolum veras revelationes, „ ſed etiam bonas voluntates. “

Hæc ſunt S. Auguſtini, & S. Thomæ principia. Et vos ſi ipſis adhærebitis, omnes profecto dicent, vos horum SS. Patrum eſſe diſcipulos, & Thomiſtas evaſiſſe. Sed ſyſtema veſtrum (7), quantum in vobis eſt, omnes haſce Catholicas veritates impugnat, & deſtruit. Enimvero quomodo Deus voluntatem omnipotentiſſimam, & abſolutam habet pro lubitu ſuo corda hominum movendi, “ ſi ejus gratia efficax talis naturæ eſt, ut poſſit non convertere “; ſicut P. Daniel (8) contendit; & ſi infallibilem connexionem non habet cum converſione? Quomodo homo pro lubitu ſuo non reſiſtit voluntati, & potentiæ Dei; “ ſi gratia efficax talis naturæ non eſt, qua ad converſionem infallibiliter adducta ſit peccatorum “, ut idem P. Daniel tradit? Quomodo Deus in potentiæ ſuæ theſauris inveniet “ gratias, „ quæ infallibiliter peccatoris converſionem operentur, „ ſi ejus naturæ non ſunt, ut eam infallibiliter operentur “? Quomodo Deus “ abſolutis decretis ſuis hominis libertatem ſubiicit “, ſi ipſius gratiæ, & decretorum efficacia ab hac libertate pendet? Quomodo hæc gratia “ aufert a corde duritiam “, ſi a cordis ipſius conſenſu pendet, ut illud *carneum* reddat, & ſi ipſa ſuperare illius reſiſtentiam nequit, niſi quia cor ipſum vinci vult? Quomodo Deus in corde hominum ingerit “ non „ ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates “, ſi efficaciter non ipſe voluntatem movet, ſi in eam non agit, ut ipſam ad actionem applicet, & ſi tandem non facit, ut ipſa bonum fortiter æque, ac ſuaviter diligat? Quomodo operatur ille bonas voluntates, ſi gratia ejus efficax non eſt niſi intellectus illuſtratio, & inſpiratio, quæ voluntatem non quidem mutat, nec realiter, proprie, effective, ſed moraliter duntaxat, & objective eam movet: id quod ipſe homo alterius hominis reſpectu agere poteſt, ut eum opportunis rationibus perſuadeat, aut ut ad aliquam rem faciendam magni alicujus boni promiſſione ipſum adducat? “ Homo (9) „ qui tam ſingulare ingenium habet in aliorum corda „ ſe ſe inſinuandi, ut difficile ſit, quod ea non mutet; „ habetne poſtremum, & abſolutum in corda hominum „ dominium “? Veſter P. Daniel (10) ergo, quid ſibi dicat, neſcit; ſibimetipſi aperte contradicit; aliquando ut S. Auguſtinus loquitur, quandoque vero ut Pelagius, aut Semipelagiani, qui nullam certe difficultatem habebant gratias admittendi, quæ intellectum illuſtrarent, eſſentque Spiritus Sancti inſpirationes, ſed tales quidem, quæ eodem tempore vim non haberent, qua ad amandum, faciendumque bonum impellerent, cor mutarent, efficaciſſimas præberent voluntati vires. Hæc tamen eſt gratia illa efficax, inquit S. Auguſtinus, quam Pelagius fateatur oportet, ſi nedum appellari, verum & Chriſtianus eſſe vult. *Sed nos*, ait S. Doctor, *eam gratiam volumus, iſte aliquando fateatur, qua futura gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verum etiam creditur, & ſperatur; non ſolum revelatur ſapientia, verum etiam amatur; non ſuadetur ſolum omne, quod bonum eſt, verum & perſuadetur. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi non ſolum vult eſſe, ſed etiam vocari Chriſtianus.*

Si veſtri ergo Theologi Chriſtiani, & Catholici eſſe amant, neceſſe eſt, RR. PP. mei, ut gratiam hanc efficacem *ad ſingulos actus* pietatis neceſſariam agnoſcant, & fateantur; hanc gratiam, inquam, quæ facit, ut bonum velint illi, qui antea illud nolebant; quæ facit, ut ei illi conſentiant, qui prius ipſam oppugnabant, ut inquit S. Auguſtinus (11). Et hæc quidem gratia illa eſt, quam orationibus noſtris petimus. A quo vero eam petimus, niſi a Deo voluntatem præparante? *Oramus non ſolum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt: Præparatur voluntas a Domino?* (12) Si Catholici ſunt veſtri Theologi, talem quidem gratiam admittant, oportet, cujus effectum nullum dubium eſt, quin nullæ unquam hominum voluntates impedire queant, ſive ei actualiter reſiſtendo, ſive obſtando, quo minus Deus pro lubitu ſuo agat; propterea quod quocunque tempore de ipſis voluntatibus noſtris id facit, quod vult. Si Theologi veſtri Catholici ſunt, talem agnoſcere debent gratiam, qua Deus, cum ſit omnipotens, ipſemet in cordibus hominum motum etiam voluntatis eorum gignat, ut per eos agat id omne, quod ipſa vult, qui quidem nihil niſi juſtum velle poteſt, ut S. Auguſtinus (13) docet, dicens: *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino injuſte aliquid velle non novit.* Si tandem Catholici ſunt Theologi veſtri, & ſi in Deum Omnipotentem credunt, fateantur oportet, quod

(1) *I. Corinth. cap. 4. v. 6.* (2) *S. Auguſt. Lib. de Grat. & de Lib. Arb. cap. 16.*
(3) *Ezechiel cap. 36. v. 27.* (4) *Ibid. cap. 36. v. 26.* (5) *Quinta inter Jeſuitarum, & Semipelagianorum Doctrinam ſimilitudinis nota.* (6) *VII. Epiſt. ad P. Alex. pag. 5. 6. 7. 8. & 9.* (7) *Jeſuitarum de Gratia ſyſtema Catholicis veritatibus adverſum.* (8) *VIII. ad P. Alex. Epiſt. p. 9. & 10.* (9) *VII. ad P. Alex. Epiſt. pag. 11.* (10) *Doctrina Gratiæ per ſeipſam efficacis eſt doctrina S. Auguſtini, & Eccleſiæ.* (11) *S. Aug. Lib. 4. ad Bonif. cap. 9.* (12) *Idem Lib. de Corrept. & Grat. cap. 14.* (13) *De Grat. & Lib. Arb. cap. 21.*

quod, quum abſolute vult Deus movere, & impellere gratia ſua rebellem infidelis, & peccatoris voluntatem, ut fidem ille, hic pœnitentiam amplectatur, ut in via mandatorum ſuorum & ille, & iſte ambulet, fateantur, inquam, oportet, quod tanta adſit, tamque arcta, & infallibis inter gratiam, & iſtius aut infidelis, aut peccatoris converſionem unio, ut effectum, ad quem eam Deus deſtinat, ſortiri debeat hujuſmodi gratia, quam fruſtraneam humana numquam reddit libertas. Et hæc eſt Eccleſiæ Doctrina, quam defendit, & explicat S. Auguſtinus (1). *Tunc in clariſſima ſapientiæ luce videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifeſta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, efficaciſſima ſit voluntas Dei, quam multa poſſit, & non velit, nihil autem velit, quod non poſſit; quamque ſit verum, quod in Pſalmo canitur*: Deus (2) autem noſter in Cœlo ſurſum; in Cœlo, & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit. *Quod utique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit; & quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit. Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ Confeſſionis initium, qua nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud veraciter dicitur Omnipotens, niſi quia quicquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.*

Dicine id de illa gratia poteſt, cujus efficacia a libertate dependet, de qua S. Auguſtinus loquitur, quando contra Pelagianos hiſce S. Pauli verbis utitur: *Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei* (3)? Hæc Apoſtoli loquendi ratio plus equidem, quam duci, & regi ſignificat, inquit S. Auguſtinus, qui ſequentia addit: *Procul dubio plus eſt agi, quam regi: qui enim regitur, aliquid agit, & ideo regitur, ut recte agat; qui autem agitur, aliquid agere vix intelligitur. Et tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere: quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei.* Hæc ne eſt proprietas gratiæ, quæ nonniſi moraliter, & objective voluntatem moveat, quæque nihil realis, effectivique nihil in corde agat, adeo ut, voluntatem aliquid ipſammet operari, percipere vix poſſimus? An non potius character iſte eſt gratiæ realiter, proprie, effective, & infallibiliter in voluntate agentis, antequam voluntas ipſa operetur, eamque moventis, & ad ſupernaturalem actionem applicantis, nec non ipſam ad volendum, amandum, faciendumque bonum determinantis? S. Auguſtinus (4) loquiturne de gratia tali, quæ moraliter tantum, & objective voluntatem moveat, & cujus efficacia a libero arbitrio pendeat; vel potius de altera illa, quæ per ſemetipſam efficax realiter, proprie, effective, & immutabiliter noſtram moveat voluntatem: dum ait, Deum voluntatem noſtram apprehendere, & movere, eaque uti ad debellandos ſuæ gloriæ, & ſalutis noſtræ inimicos, ſicut framea utitur ſtrenuus bellator? *Apprehendis enim animam meam, & debellas inimicos meos. Et quid eſt anima noſtra, quamvis ſplendida, quamvis producta, quamvis aucta, quamvis uncta, quamvis luce ſapientiæ, & coruſcationis vibrata? Quid eſt ipſa anima noſtra, aut quid poteſt, niſi Deus illam teneat, aut pugnet de illa? Nam quælibet optime facta framea, niſi habeat bellatorem, jacet. Ergo quidquid vult, facit de anima noſtra. Cum in manu ejus eſt, utitur ea, quemadmodum vult.*

Semipelagiani, (5) gratiam, & libertatem, ceu duas partiales cauſas habebant, quum pietatis actus gratiam inter, & humanam libertatem ex æquo diſtribuerent. Theologi vero veſtri an non eandem tuentur ſententiam? An non etiam majorem libertati, quam gratiæ vim tribuunt, quum juxta ſyſtema veſtrum gratia, ut efficax evadat, a libertatis conſenſu dependeat, ita quidem ut ex hoc inde oriatur, conſenſum nequaquam gratiæ ipſius eſſe effectum? Præterquamquod gratia præveniens juxta Theologorum veſtrorum ſententiam efficaciter voluntatem non movet, ſed concurrit duntaxat, agitque cum ea in operibus bonis faciendis: ſicut duo remi, qui ad cymbam movendam cooperantur; vel duo geruli idem onus ſimul portantes, vel duo denique Artifices idem opus ita perficientes, ut eorum unus quandam operis illius partem, alter vero reliquam compleat, quin unus ab alio dependeat, aut unus cum altero ullam communicet virtutem. Thomiſtæ vero gratiam per ſe ipſam efficacem defendentes hunc errorem cum S. Auguſtino impugnant, & refellunt; contenduntque, quod in ſalutis negotio totum Deo tribuatur oporteat, & quod non poſſit Deum inter, & hominem opus dividi, eo quod nihil ex ſemetipſo homo faciat. *Sine illo*, ait (6) laudatus S. Doctor, *vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad pietatis opera nihil valemus.* Neceſſe eſt itaque, ut Deo voluntatem hominum præparanti, & præparatam adjuvanti totum tribuamus: aliter enim dici poſſet, eſſe homini volenti, & currenti, non autem miſerenti Deo omnes bonos pietatis actus tribuendos, quod apertiſſime Apoſtolo adverſatur. *Porro ſi nullus*, idem S. Auguſtinus alibi (7) ita argumentatur, *Chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſime contradicat; reſtat, ut propterea recte dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Nos quidem bonum volumus; ſed Deus in nobis operatur velle: nos operamur; ſed Deus operatur in nobis & ipſum operari *ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*, ſuam elargiendo gratiam. Fides, & pietas Chriſtiana nos cogit, ut humiliter credamus, & confiteamur hanc magni momenti veritatem, & ut totum Deo ipſi tribuamus. *Nos ergo*, alio in loco (8) ait citatus S. Pater, *volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur, ſed Deus operatur in nobis & ipſum operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere. Hoc eſt pium, hoc verum, ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.* Hæc porro S. Auguſtini, & Thomiſtarum doctrina Deum gloria afficit, hominemque humiliat: dum e contrario, RR. PP. mei, Theologorum veſtrorum, & Semipelagianorum doctrina hominem elevat, & a Deo partem ipſius gloriæ aufert. Heu quam Societatis veſtræ doctrina abeſt a mente S. Cypriani, cujus pluries S. Auguſtinus hæc verba affert: *in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.* " Nimirum in nullo gloriari debemus; in omni enim bono, „ quod cogitamus, quod volumus, quod agimus, noſtrum nihil habemus.

Poteſtne ergo (9) ſine temeritate, ignorantiaque affirmari, gratiæ per ſeipſum efficacis ſyſtema (10) " novam doctrinam eſſe, S. Auguſtini, aliorumque Patrum, qui Gratiæ dogmata contra Hæreticos defenderunt, ævo ignotam? Doctrinam hanc Novatoribus favere? Gratiam per ſe ipſam efficacem deſtruere libertatem? In hoc denique ſyſtemate Dei mandata juſtis eſſe impoſſibilia "? At vero Gratiæ per ſeipſam efficacis doctrina a Congregatione *de Auxiliis*, a Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. habita fuit, ceu doctrina S. Auguſtini, S. Proſperi, illorumque Conciliorum, quæ fuere contra Pelagianos, & Semipelagianos celebrata, item ceu doctrina S. Thomæ, ipſiuſque Eccleſiæ. Thomiſtarum inſuper doctrina (11), quam Lemos, & Alvarez propugnarunt, approbata ab Eccleſia fuit in omnibus ſuis articulis, ut doctrina antiqua, & vera; in eo etiam, quod attinet ad abſoluta Dei decreta, quæ ſunt cauſæ effectivæ, primæ, & ſupremæ eventuum omnium, omniumque actionum cauſarum ſecundarum, ſive naturales hæ ſint, ſive liberæ, eas nimirum ad actionem determinando, præſtandoque, ut ratione ſuæ & naturæ, & libertati conveniente operentur. Quamvis autem præmotio, quæ phyſica nuncupatur, aut prædeterminatio, de qua tantum in diſcipulorum veſtrorum, illorumque, qui Societatis veſtræ opinionibus adhæreſcunt, animos terrorem incutitis, non ſit ita ad gratiam per ſeipſam efficacem explicandam neceſſaria, ut ſine ea explicari, defendique ipſa nequeat ſub victricis delectationis notione; quamvis præmotionis phyſicæ, & præderminantis gratiæ doctrina nonniſi ſcholarum quæſtio ſit, & doctrina Gratiæ per ſeipſam efficacis ſit fidei veritas, cui non deeſt, niſi Pauli V. Conſtitutionis promulgatio, ut eam credere cuncti teneantur fideles: nihilo tamen minus efficax hæc voluntatum noſtrarum per prævenientem Jeſu Chriſti gratiam motio, quæ facit, ut nos metipſos ad bonum determinemus, illudque faciamus, quæque hac de cauſa præmotio, aut prædeterminatio veluti phyſica appellatur, ideſt realis, proprie dicta & effectiva, hujuſmodi, inquam, motio approbata fuit a ſupradicta Congregatione, & a ſupradictis Pontificibus, ceu doctrina antiquitatis, & S. Thomæ (etiamſi Patres uſi Scholæ phraſibus non ſint). Et veſter P. Vaſtida ab eruditis PP. Lemos, & Alvares Dominicanorum diſputationibus ita convictus fuit, & perſuaſus, ut ab Hiſpania revertens Abulæ, & Valliſoleti phyſicæ præmotionis doctrinam ſuſtinuerit, ſicut Orviedus (12), in ſua Phyſica, & Petrus Papia prius

(1) *Enchir. cap.* 96. (2) *Pſalm.* 113. *v.* 3. (3) *Lib. de Geſtis Pelagii c.* 3. (4) *In Pſ.* 34. *Serm.* 1. (5) *Sexta inter Jeſuitarum, & Semipelagianorum de gratia ſyſtema ſimilitudinis nota.* (6) *Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap.* 17. (7) *Enchirid. cap.* 32. (8) *Lib. de Dono Perſeverant. cap.* 13. (9) *VIII. Ep. ad P. Alex.* (10) *Thomiſtarum doctrina nihil Novatoribus favet.* (11) *Thomiſtarum doctrina ab Eccleſia approbatur.* (12) *Orviedus Controv.* 10. *punct.* 4. *num.* 24.

prius Complutenſis Profeſſor, dein Epiſcopus, plureſque alii teſtantur. Sed ut quæſtionem hanc prætereamus, certum profecto eſt, Clementem VIII. perſuaſum fuiſſe, Gratiæ per ſe metipſam efficacis doctrinam eandem eſſe cum doctrina S. Auguſtini, & Eccleſiæ; in quadam enim Elucubratione, quam hac de re ſcripſit, & quæ non eſt, niſi collectio clariorum, & aptiorum S. Auguſtini teſtimoniorum, ab ipſo Clemente ſub certis titulis diſtributorum, cap. 5. ſequentia docet: *Gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & a dominio, quod ſumma divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cetera omnia, quæ ſub Cœlo ſunt, ſecundum Sanctum Auguſtinum.*

Nec certum minus quidem eſt (1), RR. PP. mei, doctrinam illam, quam de Gratia Societas veſtra communiter tuetur, quamque veſtri Theologi in Congregatione *de Auxiliis* defenderunt, & hodienum etiam propugnant, novam eſſe, & periculoſam, & quod ad ipſius ſubſtantiam, ad ejuſdem & principia, & conſequentias ſpectat, Semipelagianam. Et ut talis notata, diſpuncta, improbata, & rejecta fuit a Sacris Salamantica, Lovanienſi, & Duacenſi Facultatibus, & ab omnibus, Carmelita Regente excepto, Congregationis *de Auxiliis* Conſultoribus (2).

Poſt hæc neceſſe ne eſt, RR. PP. mei, ut vobis ante oculos ponam Lovanienſis Facultatis Cenſuram an. 1586. contra veſtram de Prædeſtinatione, & Gratia doctrinam promulgatam? Celebris iſta Facultas, quam Card. Pallavicinus (3), Eccleſiæ Promptuarium in Belgio, & in omnibus finitimis Regionibus appellat, declarat (4): ſyſtema veſtrum divinam lædere bonitatem, „ diminuere divinam juſtitiam, Scripturas Sanctas ludificari, Patrum doctrinam corrumpere, depravatæ naturæ blandiri, ſolidum humilitatis fundamentum evertere, nullius quaſi neceſſitatis orationem reddere, nimiam propriarium virium fidentiam perſuadere, homini præcipuam in ſalutis negotio partem, minimam vero Deo adſcribere, libero arbitrio gratiam ſubmittere, voluntatiſque humanæ pediſſequam facere; uno verbo non multum a Pelagiana doctrina differre: & quod ad Lutheri, Calvini, aliorumque Hæreticorum errores pertinet, eos & affirmari, & conſtabiliri a hoc ſyſtemate, quin ipſius Auctores ad illos cogitationem ſuam convertant; quando, qui illud ſequuntur, multum ab iſtorum Hæreticorum erroribus longe abeſſe, eoſque potius & ſolidius, & efficacius refellere gloriantur. Enim vero ſi ſalvari S. Auguſtini doctrina non poteſt, aut (phraſi utendo, quæ, ut ſe minue odioſos reddant, ipſi utuntur), ſi difficile eſt doctrinam S. Auguſtini ab iſtorum Hæreticorum & erroribus, & argumentis ſalvare; quis non videt, quantum virium, quantumque auctoritatis erroneæ eorum doctrinæ tribuatur, quum tantus Doctor pro ea ſtetiſſe dicatur?

Præterquam quod veſtri etiam Auctores ſui ſyſtematis novitatem agnoverunt. Molina, qui ejus Auctor eſt, illud, ceu ſui ingenii inventum, novamque rem, in vulgus edidit; & Societas veſtra in illo Libro, quem *de Ratione ſtudiorum Societatis Jeſu* evulgavit, methodum præſcripſit, rationemque tradidit novæ conficiendæ Theologiæ, quæ temporibus magis eſſet accommodata, quam ſit Theologia S. Thomæ, quam tamen Parens veſter S. Ignatius vobis amplectendam mandavit. Henricus Henriquez Jeſuita doctrinam hanc veſtram, ceu novam, & periculoſam reprehendit in ſupplici illo Libello Summo Pontifici Clementi VIII. oblato, quem P. Lemos ſuis in Operibus refert; nec certe Patris Lemos teſtimonium, eo quod fuerit ille de Dominicanorum Familia, detrectare debetis; illius enim ſupplicis libelli exemplar vidiſſe teſtatur; & erat P. Lemos notæ probitatis Doctor. Sylveſter Petra Sancta (5) eadem ratione loquitur. P. Typhainius Jeſuita (6), ſyſtema veſtrum rejicit, & impugnat, ceu novum, falſum, nullum firmum fundamentum habens, nec in Sacris Scripturis, nec in SS. Patribus, ſicut nec pariter in veteribus Scholaſticis, & ceu inutile ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam, & ad conciliandum liberum arbitrium Gratiæ, aut ad alias Theologicas difficultates ſolvendas. P. Petavius Jeſuita rem fere eamdem (7) dicit. Qua ergo fronte veſter P. Daniel affirmare audet, veſtram de Gratia doctrinam non eſſe novam; doctrinamque Thomiſtarum in cenſum illarum ſcholaſticarum inventionum eſſe referendam, quæ Novitatis nomen ſibi merentur? Tacendum illi eſt, RR. PP. mei, ne veſtræ periclitetur Societatis honos; & de illo, iiſque, qui illum imitantur, dici poteſt, quod Sanctiſſimus Pontifex Cæleſtinus I. ad Gallicanos Epiſcopos ſcribebat de quibuſdam inquietis, & ſeditioſis hominibus, qui Eccleſiæ pacem turbabant, & S. Auguſtini, Diſcipulorumque ipſius doctrinam impugnabant. *Non ſit his liberum pro voluntate habere ſermonem; deſinat inceſſere novitas vetuſtatem; deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare.*

Ceterum opus certe eſſet, RR. PP. mei, ad æquam inſtituendam doctrinæ Thomiſtarum cum doctrina Jeſuitarum comparationem, ut veſtrum de gratia ſyſtema Eccleſiæ obtinuiſſet approbationem; ſicut eam S. Thomæ doctrina obtinuit. Opus eſſet, ut Summi Pontifices, Molinę & Suarez, qui veſtræ Scholę Magiſtri, & novę Theologię veſtrę Auctores ſunt, ſenſus tutiſſimos eſſe, & inconcuſſos, declaraſſent, ſicut Alexander VII. poſt Janſenianę doctrinę a ſe factam condemnationem de doctrina S. Thomę pronunciavit: *Tutiſſima, & inconcuſſa S. Thomæ dogmata.* Opus eſſet, ut Sancta Sedes Theologorum veſtrorum doctrinam a quocumque errore immunem declaraſſet; ſicut de doctrina S. Thomę a Clemente Papa VIII. factum legimus. Opus denique eſſet, ut Romana Eccleſia illos, qui Molinam, & Suarez ſequuntur, a veritatis tramite non aberrare, illoſque e contrario, qui Molinam, & Suarez impugnant, de errore eſſe ſuſpectos, pronunciaſſet; ſicut de S. Thomę doctrina Innocentius Papa VI. affirmavit.

Veſter P. Daniel (8), qui in Theologos comparet, ut olim Saul comparebat inter Prophetas, dicere audet „ diſcrimen utique eſſe inter doctrinam S. Thomę, „ & doctrinam Thomiſtarum, inter notiones Pręceptoris, & notiones Diſcipulorum. Idem (9) Sociniani de Trinitatis, Deique Filii Divinitatis dogmatis dicunt; nimirum infinitum reperiri diſcrimen inter doctrinam a Jeſu Chriſto, ab Apoſtolis, & a Patribus Ante-Nicęnis traditam, & eam, quam Romana Eccleſia ſectatur. Id ipſum Calviniani pronunciant de fide pręſentię realis Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti in Euchariſtia, & de aliis Catholicis veritatibus quas impugnant: Invenitur, inquiunt, infinitum diſcrimen inter doctrinam, & notiones Apoſtolorum, & ſex priorum ſęculorum Patrum, & doctrinam, notioneſque Romanę hujuſce temporis Eccleſię. Si ii paradoxa hęc dum proferunt, & probare conantur, ſine animi noſtri moleſtia audiri poſſunt; ſi veriſimile eſt, Eccleſiam Apoſtolicam Romanam, cui Jeſus Chriſtus fidei, ſanæque doctrinę depoſitum, quod ad nos uſque per traditionem pervenit, cuſtodiendum tradidit, nec intellexiſſe, nec intelligere Sacras Scripturas, & SS. Patres, & illarum ęque ac iſtorum duntaxat literam, quin ſpiritum penetret, conſervare; & ab illis, qui extra Eccleſiam ſunt, & Scripturas, & Patres melius intelligi, quam ab Eccleſia ipſa intelligantur; veriſimile quoque erit, Theologos veſtros in aſſequenda Angelici Doctoris mente Thomiſtis ipſis pręſtare. Si veriſimile eſt, hominem, qui nunquam Virgilio, aut Horatio ſtudium, laboremque ſuum admovit, quippe nonniſi pauca quędam eorum carmina ab aliis Auctoribus prolata legit, Poetas melius intelligere, quam eos intelligant Patres veſtri, qui per totum ſuæ vitæ curriculum ad illos intelligendos operam ſuam contulerunt, qui in Collegiorum veſtrorum Scholis illos ſunt interpretati, & qui denique illos ſuis Commentariis illuſtrarunt: veriſimile quoque erit, P. Danielem, ejuſque Socios, aut etiam Magiſtros, qui nunquam continuam S. Thomæ lectionem inſtituerunt, quique nonniſi quædam male intellecta ipſius S. Doctoris teſtimonia aut in P. Suarez legerunt, aut ex ſcholaſticis Theologiæ lectionibus a Societatis ipſius Theologiæ Lectoribus dictatis audierunt, hujus S. Doctoris mentem penitius aſſequi, quam eam Thomiſtæ, qui ejus Diſcipuli ſunt, reipſa aſſequantur; Thomiſtæ, inquam, qui Angelici Præceptoris opera continuo perlegunt, ſerio pervolvunt, & meditantur, quique ipſius ſenſus & explanant, & docent, adeo ut dicere de eo poſſint, quod de D. Paulo olim dixerat S. Joannes Chriſoſtomus: *Neque enim nos, quæ ſcimus, ab ingenii bonitate, atque acumine ſcimus; ſed quod illi viro impenſe affecti, ab illius lectione nunquam diſcedimus* (10). Nec certe neceſſe eſt, RR. PP. mei, ut ad probandum immorer, doctrinam de Gratia ſuapte efficaci ea ratione intellectam, qua in S. Thomæ Schola (11) ab ejus Diſcipulis

(1) *Doctrina, quam communiter Jeſuitæ de Gratia ſequuntur, nova eſt, & periculoſa.* (2) *Acta authentica congreg.* de Auxiliis. (3) *Hiſt. Conc. Trid. Lib.* 15. *c.* 7. (4) *Jeſuitarum ſyſtema a Theologica Lovanienſi Facultate cenſura notatum.* (5) *Vita Cardinalis Bellarm. Lib.* 3. *cap.* 5. (6) *Lib. de ordine, deque Priori, & Poſteriori.* (7) *Theol. Dogmat. Lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 2. *& Lib.* 9. *c.* 15. *nu* 6. (8) *Thomiſtarum doctrina S. Thomæ doctrina eſt.* (9) *Ep.* 8. *ad Alex. pag.* 24. (10) *Proœmio in Ep. ad Rom.* (11) *Sui interpres de Divina motione &c. Auctore P. Ant. Mauſolié.*

lis edoceri ſolet, veram eſſe ipſius S. Doctoris doctrinam. Vos dicite meo quæſo nomine & P. Danieli, & illis in Sociis veſtris, qui eodem modo, quo ille, loquuntur (ſi tamen inter vos adſunt, qui adeo ſint a ſua ratione deſerti), dicite quæſo, ut perlegant PP. Lemos, & Alvarez, Joannem a S. Thoma, Gonetum, P. Mauſoliè Congregationis S. Officii Conſultorem in Opere illo, quod de Motione divina, & de Libertate elucubravit, & quod Romæ an. *1692.* Sacræ Congregationis permiſſu typis mandavit, SS. Domino noſtro Innocentio Papæ XII. dedicatum: & Thomiſtarum de hac re doctrinam eandem eſſe cum doctrina S. Thomæ convincentur. Et qui id in dubium revocant, poſſunt certe, utrum dies ſit, dum meridies adeſt, etiam dubitare.

Si Leydeker unus ex Proteſtantibus, aut aliquis alius Hæreticus, gratiam ſuapte efficacem imponere libero arbitrio inevitabilem neceſſitatem, contendit, audetque dicere, Calvini opinionem a Thomiſtarum doctrina quod ad gratiam prædeterminantem pertinet, non differre; nihil certe magis Thomiſtarum placita intelligit, quam ea a P. Daniele intelligantur. Et aliorum riſui ſe ſe, novi hujus Prophetæ inſtar, exponeret, qui Thomiſticam de gratia doctrinam, licet ſit ab Eccleſia approbata, ſanam non eſſe ex eo diceret, quod aliqui perperam, ſicut a P. Daniele (1) factum eſſe videmus, ratiocinantes, a doctrina illa ullo abſque fundamento conſequentias deducunt, quibus aliquot fidei dogmata periclitantur. Si P. Daniel Arianorum tempore fuiſſet, eadem ratione de Dei Filii Conſubſtantialitate doctrinam dixiſſet eſſe rejiciendam, eo quod Pauli Samoſatenſis Diſcipuli vocabulo *Conſubſtantialis* abutentes, ab eo contra aliud fidei dogma periculoſas conſequentias deduxerunt. Si fuiſſet ille tempore Pelagianorum, & Semipelagianorum, ipſorum loquendi formulis uſus eſſet, & S. Auguſtini de Gratia, & de Prædeſtinatione doctrinam non eſſe Catholicam, dixiſſet, eo quod Hæretici ii conſectaria libero arbitrio adverſa inde trahebant, & quod Manichæi ad proprios tuendos errores argumenta deducere nullo negotio poterant. Si tandem Neſtorii tempore fuiſſet, S. Cyrillum, & Concilium Epheſinum profecto culpaſſet, quod unionem ineffabilem Dei Filii cum humana natura unionem phyſicam eſſe docuerint; eo quod ab hac loquendi ratione poterant Hæretici conſequentias deducere Fidei contrarias, id eſt naturalem, & neceſſariam eſſe iſtiuſmodi unionem. Et fruſtra S. Cyrillus, & illius Concilii Patres ei reſpondiſſent, ſe unionem illam ideo phyſicam vocare, quia realis duarum Naturarum, non vero tantum moralis unio illa eſt in Verbi Perſona, unio profecto omnino diverſa ab illa, qua duo Amici, vel duo Conjuges, ceu una tantum perſona, quantum ad jus pertinet, habentur, etiamſi vero effective duæ ſint inter ſe diſtinctæ perſonæ. Satis non feciſſet P. Danieli hoc Reſponſum; ſicut non ille acquieſcit, quando, quod ad gratiam pertinet, hanc a nobis ſibi habet reſponſionem; nimirum gratiæ efficaciter voluntates noſtras prævenientis, eaſque ad pietatis actus applicantis motionem vocari phyſicam, non ex eo, quod motionibus liberis opponatur, tanquam ſi ipſamet faceret, ut inſtinctu veluti, & neceſſitate ageret voluntas, ſed ex eo duntaxat, quod opponatur motionibus mere moralibus, quæ ab objecto nullum ad voluntatem movendam influxum habente, nec eam effectiva ratione mutante ſolent proficiſci.

Ceterum (2) quantum acuminis, ingeniique P. Daniel habeat, palam profecto facit; dum rationem illam, qua Thomiſtæ utuntur ad explicandam efficaciam gratiæ, quæ voluntatem ad pietatis actus determinat faciendo, ut ipſa libere operetur (id quod ii prædeterminationem, aut præmotionem phyſicam appellant) dum rationem hanc, inquam, veteri Eccleſiæ, & præſertim S. Auguſtino ignotam fuiſſe, probare conatur; & dum doctrinam iſtam Janſeniſtis favere, autumat, eo quod eam ortum ſuum ab humana Philoſophia duxiſſe, & Ariſtotelis, non vero S. Auguſtini Diſcipulos eſſe, qui eam tuentur, (3) Ianſenius affirmet. At vero eſtne juxta vos, RR. PP. mei, tanti ponderis Janſenii teſtimonium, ut ei fides his in rebus præſtari debeat? Si fides Janſenii dictis eſt adjungenda, quando, aliquam doctrinam eſſe, vel non eſſe S. Auguſtini, affirmat; quinque propoſitiones, quas tamen Eccleſia damnavit, genuina S. Auguſtini doctrina dicendæ ſunt, eo quod Janſenius eas adferat, & defendat. Si contra Thomiſtarum præmotionem, aut prædeterminationem phyſicam alicujus momenti Janſenii teſtimonium eſt; magis ei certo eſt præſtanda fides, dum ad Libri ſui finem Scholæ veſtræ doctrinam cum Pelagii, & Semipelagianorum erroribus comparat. Enimvero quando contra Thomiſtarum doctrinam verba facit, cum Jeſuitis duntaxat congruit illi ſermo, ſed quando conformem Semipelagianorum doctrinæ veſtram eſſe affirmat, & probat, idem profecto aſſerit, quod dicunt Theologicæ Facultates Salamantica, Lovanienſis, & Duacenſis, Sacra Hiſpaniæ Inquiſitio, pluresque illius Regni Epiſcopi, nec non Congregatio *de Auxiliis*; a quibus omnibus idem latum legimus hac de re judicium.

Præterea Propheta veſter (4) Viros duos, quorum nomina omnino ignota eſſent, niſi ea, quæ de ementito Arnaldo legimus, indicaſſet, appoſite in ſcenam producit, & ita argumentatur. Baccalaureus Ligniaci, & Mr. Rivette prædeterminationem phyſicam rejiciunt; ergo ſub Thomiſtarum doctrinæ patrocinatione in publicas Orbis Scholas error diffunditur; ergo Thomiſtarum doctrina ea non eſt, quam S. Auguſtinus tradidit; ergo Thomiſtarum principia Janſenio, & Janſeniſtis favent. Heu quam bene deducta conſequentia! Heu quam rigoroſe ad Logicæ regulas exacta ratiocinatio! Janſenius, & Janſeniſtæ rationem illam rejiciunt, qua ad gratiæ efficaciam explicandam Thomiſtæ utuntur; riſum, jocumque phyſicam prædeterminationem faciunt, & cum Jeſuitis, eam eſſe S. Auguſtino adverſam, affirmant: ergo doctrina a Thomiſtis tradita Janſeniſtis favet. Recti judicii homo a principiis his conſequentiam certe erueret huic omnino adverſam; & diceret: Thomiſtarum ergo doctrina Janſeniſticis placitis non congruit, nec illis favet; eo quod eam illi & rejiciunt, & impugnant. Sed P. Danieli a reliquis hominibus cunctis diverſimode argumentari licet.

Tandem (5) RR. PP. mei, octava veſtri P. Danielis Epiſtola ad P. Alexandrum data injuriam adfert non ſolum illis omnibus, qui gratiam ſuapte efficacem defendunt, non ſolum ſapientioribus Sacri Collegii Cardinalibus, maximo Epiſcoporum venerabilium numero, qui ob eruditionem æque ac ab dignitatem ſunt conſideratione digniſſimi, non ſolum celebratiſſimis Theologicis Facultatibus Salamanticæ, Lovanienſi, & Duacenſi, innumerabili Doctorum abſolutæ eruditionis multitudini nedum in Pariſienſi Facultate, verum & in aliis Eccleſiæ Univerſitatibus, non ſolum Univerſæ S. Dominici Familiæ, & Ordinibus, Congregationibuſque Religioſis Benedictinorum, Auguſtinianorum, Minimorum, Carmelitarum Diſcalceatorum, Præmonſtratentium, Bernabitarum, PP. Doctrinæ Chriſtianæ, Canonicorum Regularium Congregationis S. Genoveſæ, PP. Oratorii, aliorumque plurium, qui gratiam natura ſua efficacem tuentur: ſed etiam S. Auguſtino, omnibuſque Patribus illis, qui eum ſunt ſecuti, ut & S. Thomæ, & Pontificibus, qui horum SS. Patrum doctrinam approbarunt, totique denique Sanctæ Eccleſiæ. Eſt inſuper octava hæc P. Danielis Epiſtola aperta violatio duarum SS. Domini noſtri Innocentii Papæ XII. Conſtitutionum ad Belgii Epiſcopos, & ad Sacram Theologiam Lovanienſem Facultatem datarum die 6. Februarii an. *1694.* & 24. Novembris an. *1696.*, ſicut & Mandati eruditiſſimi, & ſapientiſſimi Pariſienſis Archiepiſcopi, quo piiſſimus ille Præſul juſſit, ut Univerſa ſua Diœceſis S. Thomæ doctrinam ſequeretur. „Novatores, (6) ait P. Daniel, gratiam introducunt, „ quæ, quin prædeterminationis phyſicæ nomen ſibi obtineat, infallibiliter, quinimmo & magis neceſſario, „ quam a Thomiſtarum prædeterminatione fiat, convertit. Voluntas ei reſiſtere poteſt, ſicut rejicere poteſt Thomiſtarum prædeterminationem. Et in eorum „ ſyſtemate Dei mandata juſtis poſſibilia ſunt æque ac „ in ſyſtemate Thomiſtarum, ſicut illi ipſi affirmant: “ Id autem idem eſt, ac dicere, illos, qui quinque Janſenii propoſitiones condemnant, & catholicas hæreticis his propoſitionibus oppoſitas veritates fatentur, eſſe nihilominus Novatores, & Janſeniſtas; ſi Thomiſtarum more gratiam ſuapte efficacem defendunt, & ſi Moliniſmum publice non profitentur. Et qui ita loquitur, an non pervicaciter Sanctæ Sedis Decretis, & Pariſienſis Archiepiſcopi Mandato reſiſtit? An non pacem Eccleſiæ turbat?

Verum (7) hæc qui dicit, non ſolum civile in Eccleſia Chriſti diſſidium excitat, & implacabile bellum; ſed etiam Proteſtantium converſioni, eorumque cum Ca-

(1) *Epiſt. VIII. ad P. Alex. pag. 33.* (2) *Falſum P. Danielis argumentum.*
(3) *Epiſt. VII. ad P. Alex. pag. 35.* (4) *Epiſt. VIII. ad P. Alex. pag. 35. & 36.*
(5) *VIII. P. Danielis Epiſtola toti Eccleſiæ injuriam adfert.* (6) *Epiſt. VII. ad P. Alex. pag. 34.*
(7) *P. Daniel, & qui, ut ipſe, loquuntur, novum addunt Proteſtantium Converſioni obſtaculum.*

Catholica Eccleſia reunioni nova obſtacula addit. Cardinalis de Perſon merito dicere poterat, quod omnes Europæ Sectarios ad id coegiſſet, ut Thomiſtarum de Gratia per ſeipſam efficaci, & de prædeterminatione phyſica doctrinæ ſubſcriberent; eo quod Proteſtantes de Prædeſtinatione, de Gratia, & de Libero Arbitrio auſteriores, & ad deſperationem hominum conſcientias adducentes opiniones jam deſeruerant. Sed id majori quidem ratione hiſce noſtris temporibus diceret, quibus iidem Proteſtantes S. Thomæ, ejuſque Scholæ doctrinam ſunt propemodum amplexi, ita quidem, ut nulla amplius hoc de articulo Catholicos inter, & Calvinianos adſit controverſia. Cujus rei veritatem profecto norunt, quotquot ſunt vera eruditione præditi homines, illique cuncti, qui funditus controverſias haſce exagitarunt, quique laborem, operamque ſuam ad Hæreticorum converſionem contulerunt. P. Daniel autem eam ignorat, de qua tamen convictus certe eſſet, ſi Tractatum legiſſet, quem Cardinalis de Richelieu ad illos convertendos, qui ſunt ab Eccleſia ſeparati, edidit (1). Præterea P. Veronus, olim Jeſuita, in tertia ſuorum Operum de Controverſiis parte controv. 1. cap. 2. de Libero Arbitrio; Dn. de Walembourg Colonienſis Archiepiſcopi Suffraganeus in ſuo particularium controverſiarum Compendio cap. 57. & 60., P. Baronus eruditus Dominicani Ordinis Theologus in ſuo controverſiarum Libro, cui titulus *l'Hereſie convainçue*; Dn. le Fevre in Theologica Pariſienſi Facultate Doctor, & Lexovienſis Eccleſiæ Archidiaconus in uno ſuorum operum, cui titulus *Motifs Invincibles* &c. a viginti quinque ejuſdem Facultatibus Doctoribus adprobato, cap. 2. ſuarum Additionum; Ameſius in Libro, cui titulus *Bellarminus Enervatus*; Dn. le Blanc celebratiſſimus Miniſter in ſuis Theſibus Sedani; & Melchior Leideckerus in ſua nona Theſi Hiſtorico-theologica *de Janſeniſmo*, aperte affirmant, & teſtantur, Calvinianorum hujuſce temporis de Gratia ſuapte efficaci, & de ejus cum libertate concordia opinionem nihil quoad ſubſtantiam a S. Thomæ, & Thomiſtarum doctrina differre. Et Doctores illi omnes, qui operam ſuam Calvinianorum converſioni, poſtquam revocatum fuit Namneti Edictum, impenderunt, uno ore teſtati ſunt, nullam hac de re inveniſſe difficultatem. Hæc porro tot Sapientum Catholicæ Eccleſiæ, & Calvinianæ Reformationis Auctorum teſtimonia evidenter demonſtrant, doctrinam de Gratia per ſeipſam efficaci, juxta Thomiſtarum explicationem, ad reunionem Calvinianorum cum Catholica Eccleſia facilius obtinendam eſſe aptiſſimam. Jeſuitarum e contrario ſyſtema, quod libero arbitrio gratiam ſubiicit, eamque a voluntatis conſenſu, ut ſit efficax, dependentem ſtatuit, hoc unum præſtare poteſt, ut nimirum magis, magiſque a Catholica Apoſtolica Romana Eccleſia longe ſecedant noſtri, qui jam ſunt ab ea disjuncti, Fratres; & ut eorum Miniſtris præbeatur occaſio Romanæ Eccleſiæ, licet falſo, objiciendi, quod quantum ad doctrinam de Gratia pertinet, mutationem paſſa ipſa ſit, & veterem deſeruerit S. Auguſtini, ejuſque Diſcipulorum; ſummorum item Pontificum, & Conciliorum, a quibus Pelagius damnatus fuit, ſententiam, & hinc paulatim Semipelagiana evaſerit. Molinæ, RR. PP. mei, ſyſtema, & Theologorum veſtrorum obſtinatio, qua illius doctrinam juxta ſingula ejuſdem capita, vel ſaltem juxta ea, quæ a vobis eo fine ſelecta ſunt, ut nova veſtra Theologia a Theologia aliarum ſcholarum omnium diſtingueretur, acriter tuentur; Molinæ, inquam, ſyſtema, & Theologorum veſtrorum in eo tuendo obſtinatio occaſionem præbuerunt & Jurio Calvinianorum Miniſtro, ut calumnias recenſitas Romanæ Eccleſiæ inſtrueret, & Melchiori Leideckero, quem P. Daniel in ſua octava Epiſtola citat, ut diceret: “Omnes Papiſmi errores (Calvinianus eſt, qui hæc profert) ex eo oriuntur, quod „ vel rejiciatur, vel non, ut per eſt, Jeſu Chriſti gratia in Romana Eccleſia cognoſcatur: & nullum adeſſe poteſt nos inter, & Romanos diſſidium, quod finem non haberet, ſi gratiæ victricis fides victrix ipſamet evaderet.

Ceterum S. Thomæ, Thomiſtarumque (2) doctrina non ſolum Calvinianos Catholicæ Eccleſiæ circa controverſias illas, quæ de Juſtificatione, de Gratia, de Libero Arbitrio, & de Meritis agitari ſolent, criminata eſt; verum etiam finem impoſuit ſchiſmati illi, quod falſo quodam adverſo in Eccleſiæ ſinu damnatæ Janſenii propoſitiones efformaverant. Et Summi Pontifices definierunt, illos, qui Janſenii, ejuſque doctrinæ defenſionem inconſulto ſuſcepiſſent, ab omni hæreſeos ſuſpicione fore immunes, dummodo quinque propoſitionum condemnationi ad formulam a Sancta Sede præſcriptam exactæ ſubſcriberent, & de cetero S. Auguſtini, & S. Thomæ, hujuſque Scholæ de Gratia doctrinam ſequerentur. Eccleſia ergo D. Aquinatis & doctrinam, & principia approbando admiſit, etiam quando Janſenii errores cenſura notavit. „ Thomiſtarum aſſertiones aſſertionibus Novatorum contradicunt. Et quidam Dominicani Theologi evidentiſſime demonſtrarant, S. Thomam, ejuſque Scholam nec Calviniſmo „ infectam eſſe, nec Janſeniſmo. Eorum adverſarii ipſi, „ ut P. Annatus, & aliquot alii Societatis Jeſu Theologi, Thomiſtarum doctrinam eſſe Catholicam, multumque a Calviniſmo, & Janſeniſmo differre, contenderunt. “ P. Daniel tamen, quid id omne ultro concedit, ex Thomiſtarum principiis, & aſſertionibus ſua veluti ſponte fluere errores illos, quos ab Hæreticis propugnatos Eccleſia damnavit, affirmare poſſe arbitratur. Et ſpecioſa illa ratio quam, hic Parallelorum fabricator adfert, & eſt “ Eccleſiam, dum Thomiſtarum aſſertiones approbavit, nequaquam definiiſſe, conſectaria, quæ inde deducuntur, ab illorum non ſequi principiis “.

An non juxta vos, RR. PP. mei, ſatis luminis Eccleſia habet? An non tanta eſt illi conceſſa intelligendi vis, ut ſentiat, principia, & aſſerta, quæ ipſa approbat, ſuapte ad conſequentias ducere, quæ ipſiſſimas Novatorum, ideſt Calvinianorum, & Janſeniſtarum tum aſſertiones, cum doctrinas contineant? Spiritus Sanctus, cujus afflatu regitur, an non tantum luminis ei eſt impertitus, ut conſequentias illas periculoſas, & erroneas prævidere poſſit, quæ ſuapte a doctrina fluunt, quam ipſa laudat, & approbat? Propheta veſter eſtne alter Paracletus, ut Montanus, qui veritates agnoſcat, quas non intellexerit Eccleſia? Vos latere non debet, RR. PP. mei, Societatem veſtram a vindictæ ſpiritu ductam (3) Thomiſtarum de gratia efficaci & prædeterminante doctrinam cum illa Calvinianorum comparaſſe; & id quidem, ut culpam illam (4) Dominicanis adjungerent, de qua fuerat ab iiſdem ipſa accuſata, Dominicanis, inquam, qui prius jam cum Pelagiana, & Semipelagiana Molinianam doctrinam, dum Congregatio *de Auxiliis* agebatur, comparaverant. Theologi veſtri Scriptum, hoc veſtrum, die 10. Januarii an. *1606.* produxerunt. Veſter P. Baſtida illud ſeſſ. 44. Congregationis propugnavit; ſed PP. Lemos, & Alvarez Dominicani Ordinis Doctores, inſtitutam in eo comparationem nullam prorſus eſſe, oſtenderunt; illudque omne confutarunt, quod Baſtida ad eam probandam viva voce dixerat. Congregatio autem nulla habita ratione viginti quinque argumentorum illorum, quæ in ſcripto illo continebantur, inſtitutam a Dominicanis comparationem approbavit; ſtatuitque, Molinæ principia, aſſerta, & conſectaria ad Gratiam pertinentia Pelagianorum, & Semipelagianorum doctrinæ eſſe conformia; & e contrario nihili omnino faciens inanes illas de Calviniſmo criminationes, quas contra Thomiſtas Societas veſtra adtulit, SS. Auguſtini, & Thomæ defenſam a Dominicanis Doctrinam & veram eſſe contendit, & confirmavit. Hæc porro omnia certa ſunt, & indubia. Authentica Congregationis *de Auxiliis* Acta a P. Coronello ejuſdem Secretario deſcripta hac de re fidem faciunt. Qua ergo fronte P. Daniel contendere audet, Eccleſiam, dum Thomiſtarum aſſerta approbavit, non ſatis declaraſſe, conſequentias, quæ inde deducuntur, ipſiſſimas non eſſe aſſertiones, & doctrinas Novatorum? Arbitramini ne vos, RR. PP. mei, neceſſarium eſſe ad id definiendum, ut nova habeatur Congregatio, aut cogatur Concilium? Syſtemati veſtro nuntium potius remittite, & novis veſtris de gratia, & de Jeſu Chriſti Morali opinionibus: redite ad S. Thomæ Scholam, a qua contra S. Ignatii mentem, & vetera Societatis veſtræ Statuta ſeceſſiſtis. Alacriter, & ulla ſine cunctatione vos Thomiſtæ honorifice excipient. Nonnihil jam a Molina recedere, & ad Thomiſtarum rationes voſmetipſos adjungere incœpiſtis. Opus perficite. Conſilium inite, quod Cardinalis Baronius Patribus veſtris dedit, ne Molinæ defendendo doctrinam damnum ſuæ famæ inferrent.

P. Daniel autem nullam pro ſua cauſa debet ex eo utilitatem deducere, quod in altera mea vobis data Epiſtola id non refellerim, quod P. Frizonius (5) refert, nimirum Cardinalem Perronium, dum privatim Clementem VIII. adiit, de Congregationis *de Auxiliis* negotiis loquentem favorabilem Societati veſtræ coram illo ſe exhibuiſſe. Sed quoniam nugis, nulliuſque momenti

(1) *Lib. 3. de Libero Arbitrio.* (2) *Thomiſtarum doctrina Eccleſiæ Proteſtantes in materia de Gratia culpavit.*
(3) *Epiſt. VIII. ad P. Alex. pag. 22. & 23.* (4) *Ripalda Jeſuita Tom. 2. diſp. 113.*
(5) *Gallia Purpurata.*

menti rebus, quæ ad intimum cauſæ ſtatum non pertinent, minime immoror; miſſam hanc rem feci veſtro Parallelorum fabricatori. Ceterum (1) dubitandi locus tamen eſt, Frizollium genuinis, & ſinceris caruiſſe monumentis, ſi illa perpendimus, quæ hujus Cardinalis extant, & illa, quæ typis conſignavit Oratorii Franciæ Presbyter P. Gibieuf Lutetiæ Pariſiorum vitam agens, dum per Urbem illam Baſtida veſter in Hiſpaniam reverſurus iter habuit. P. Gibieuf itaque narrat, P. Baſtidam Pariſiis menſes aliquot duxiſſe, ut Cardinalem Perronium, quem Romæ Agonothetem expertus erat, ſalutaret, eique totius Societatis nomine exſolveret grati animi ſenſum; eum tamen multum ab illo mutatum ſenſiſſe, qui Romæ fuerat. Romæ enim dum eſſet Perronius, amicam operam Societati veſtræ navavit, dum Congregatio *de Auxiliis* agebatur: propterea quod Henrici IV. Regis Confeſſarius eo hunc Principem adduxerat, ut Perronio Societatis cauſam commendaret; quod Sacra ejus Majeſtas non alterius rei cauſa præſtitit, niſi quia Hiſpaniæ Rex in fidem ſuam, & tutelam Prædicatores jam receperat, & ut Socii veſtri & Romæ, & alibi bene de ejus Catholicitate loqueretur. Sed Cardinalis Perronius certiorem P. Baſtidam reddidit, dum eum Lutetiæ Pariſiorum vidit, de perfecta ſua SS. Auguſtini, & Thomæ doctrinæ ad hæſione; eique evidenter oſtendit, non eſſe de ſua ſententia judicandum ex eo, quod voluntati Regis Domini ſui obſecutus pro eis Romæ egerat.

Si Congregationis *de Auxiliis* Hiſtoria eſſet, RR. PP. mei, P. Danieli nota, tam pervicaci temeritate non equidem ſuſtineret, damnatum minime fuiſſe ſyſtema veſtrum. Non ego ad fero (2) Congregationis illius monumenta, quæ Pegna Romanæ Rotæ Decanus ad nos tranſmiſit, nec ea, quæ P. Lemos evulgavit; ſed autographa ipſius Congregationis acta, in quibus XX. ex Molinianis ſelectæ propoſitiones cenſura notatæ leguntur. Et in primis ſcientia media in decimoquarta propoſitione contenta damnata fuit, „ ceu Semipelagianorum inventum eo conſilio excogitatum, ut gratia „ bonam voluntatem operans deſtrueretur, & ut, quod „ Gratiæ debetur, tribueretur libero arbitrio, & ceu „ inventum contrarium S. Auguſtino, qui de prædeſtinatione, & de Gratia loquens illam ſemper præſcientiam rejecit, quæ divinæ voluntatis præcedit Decretum. “ Hæc autem eſt ne ſyſtematis veſtri approbatio? Dum vero Sacra Congregatio decimam ſeptimam propoſitionem ad examen revocavit (3), addidit, „ Gratiam non ab humani conſenſus libertate ſuam efficaciam trahere, ſed eam eſſe natura ſua efficacem; „ ipſamque talem eſſe ex parte Dei, & ob rationem, „ qua ille voluntatem noſtram movet. “ Dein decimam octavam perpendens ait, “ Gratiæ efficaciam nullomodo libertatem deſtruere. “ Decimam nonam tandem „ ſuo ſubjiciens judicio definiit. Decretum æternum, „ virtute cujus voluntatem movere, eamque ad pietatis actus determinare Deus ſtatuit, fatalem non imponere neceſſitatem. An non porro hiſce in propoſitionibus doctrina veſtra, RR. PP. mei, Congregationis eſt notata cenſuris? An non quæ a Thomiſtis defenditur, & traditur, approbationem obtinuit? Nihil eſt tam falſum, quam id, quod veſtri Remonſtrantes aſſerere audent (4), in illo ſcripto, quod Rhemenſi Archiepiſcopo de ejus Paſtorali mandato inſcripſerunt; nimirum veſtrum de Gratia ſyſtema non fuiſſe a Congregatione *de Auxiliis* condemnatum, neque ab ea majorem veſtræ, quam Thomiſtarum de gratia doctrinæ allatam fuiſſe jacturam.

Veſter Parallelorum fabricator in octava ſua ad P. Alexandrum data Epiſtola aſſerit, expectare ab hoc Doctore Eccleſiam, ut ejusdem argumentis reſpondeat, & ipſius conſequentias male erutas eſſe, demonſtret. De Catholica Apoſtolica Romana Eccleſia non ille profecto loquitur; utpotequæ S. Thomæ, ejuſque Diſcipulorum doctrinam ceu ſolidiſſimam, & tutiſſimam millies approbaret. *Tutiſſima, & inconcuſſa S. Thomæ dogmata.* Loquitur ille forſan de Reformata Arminianorum, aut Remonſtrantium Eccleſia, cujus pars a toto Calvinianorum grege disjuncta, ceu Semipelagiana, a Nationali eorum Synodo Dordracena damnata fuit. Sola hæc falſa Eccleſia, quæ eadem vobiſcum habet de Jeſu Chriſti Gratia dogmata, de Gratiæ ſuapte efficacis Thomiſtica doctrina oſtendi poteſt. Ceterum ne credatis velim, RR. PP. mei, a reſponſione argumentis P. Danielis danda velle me abſtinere; quinnimo id expreſſe agam, ne ipſe de imaginaria glorietur victoria, & ut illis ſatisfaciam, quos fortaſſe odioſa illius argumenta commoverunt, & ut demum ignorantes, & Moliniſmi Proſelytos inſtruam: etenim *Sapientibus, & Inſipientibus debitor ſum* (5).

Et fruſtra quidem mihi, RR. PP. mei, objiceretur, P. Alexandrum, cujus uſque adhuc Apologiam egi, a Semipelagianorum erroribus immune (6) ſyſtema veſtrum ſtatuiſſe; non is enim ego ſum, qui cæco animi impetu hujus Doctoris ſenſus amplectar, veritatis enim, & Thomiſticæ Scholæ cauſam ab illa P. Alexandri ſatis diſcerno. Si Congregationis *de Auxiliis* Acta perpendiſſet, ſi cum Fauſti Retenſis Epiſcopi, & Caſſiani erroribus, cum S. Auguſtini, S. Proſperi, & S. Fulgentii doctrina, & cum Arauſicani Concilii ſanctioribus Molinianas opiniones comparaſſet, aliter profecto eſſet locutus; & a ſapientiorum ſui Ordinis, ſuæque Scholæ Theologorum ſententia, qui Moliniſmum, & Semipelagianiſmum ipſiſſimam, quoad ſubſtantiam, rem eſſe demonſtrarunt, nequaquam ſeceſſiſſet. Suo ingenio indulſit, quo, veritate prætermiſſa, bene de Societate veſtra promereri ſtuduit. Hinc hac in re illum libere deſerui; & eo quidem liberius, quod unus ex articulis, qui Romæ condemnati fuerunt, & quos ejus Operis Cenſores repurgari oportere ſtatuerunt, his eſt conceptus verbis (7): *Senſus Molinæ non eſt Pelagianus, aut Semipelagianus.* Cujus rei quidem probationem afferre facillime poſſem, ſi vellem. Ceterum adoranda ſunt judicia Dei, quibus per ea hic Doctor punitur, per quæ peccavit. A Semipelagianorum errore ſyſtema veſtrum in veritatis injuriam vindicavit; & Deus ex Societate veſtra Angelum... excitavit, qui eum colaphizet (8), quod eveniſſe legimus S. Paulo. Suis meritis haud diſſimile præmium ipſe fert (9). *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Quod vero ad me attinet, multam a me P. Danieli gratiam haberi fateor; eo quod occaſionem mihi præbuit vos certiores iterum, iterumque reddendi, me vos impenſe & colere, & revereri.

Lovanii die *6.* Decembris an. 1697.

Admodum RR. Paternitatum veſtrarum

Humillimus, & Addictiſſimus Famulus.

EPISTOLA SEXTA.

Cujuſdam Theologi ad PP. Ieſuitas data: De Gratia.

FAteri quidem opus eſt abnormem omnino eſſe humani ſpiritus lubidinem. Si P. Alexander in ſua Dogmatica Theologia quæſtiones pertractaſſet, quæ controverſiarum cauſa ſunt in Scholis; ſi explicaſſet, oppugnaſſetque veſtrum de Gratia ſyſtema, & illud Thomiſtarum confirmaſſet; ſi quæſtiones ingreſſus eſſet ad exercenda ingenia potius, quam ad erudiendos populos, Eccleſiamque ædificandam idoneas, vos profecto, RR. PP. mei, conſilium ſuum non eum perfeciſſe, minimeque utile Eccleſiaſticis viris, in quorum gratiam fecerat, ejus fuiſſe opus, fateremini. Ac revera ſi Parochus ſermonem ad fideles ſuos haberet vel de ſcientia media, vel de pulcherrimo illo, quod ſuo tantum ingenio indulgens Molina ſtatuit, ſyſtemate, vel de phyſica Thomiſtarum prædeterminatione; intelligerent ne, quid ipſe diceret, aut multum proficerent. Nihilo tamen minus P. Daniel P. Alexandrum damnat, quod non neceſſarium duxerit Eccleſiaſticos harum abſtruſa viſcera quæſtionum docere Scripturarum duntaxat, Conciliorum, Sanctorumque Patrum verbis. Hic Doctor rem habere noluit, niſi de veritatibus Religionis, & de præcipuis fidei articulis a Sacro Tridentino Concilio definitis, & a Catechiſmo Romano explicatis, quos quidem articulos Eccleſiaſticus quiſque probe ſcire debet ad inſtituendos in Fide, & Chriſtiana Morali populos, quæ duas ſcientiæ ſalutis partes conſtituunt. Prælatorum eſt, quibus Eccleſiæ regimen Chriſtus commiſit, judicium ferre utrum, nec ne utile ei ſit hoc P. Alexandri Opus: illorum vero, qui illud legent, erit videre num prodeſſe poſſit ad illos erudiendos, qui doctrinam a puris Traditionis fontibus hauſtam exoptant, non vero ab illis rimarum plenis ciſternis, quæ aquas remittunt. P. Alexander ſemet non præſefert, ceu Seminaniorum Theologum, Parochorum, Confeſſorum, & Concionatorum Doctorem, ut eum veſter

(1) *Sinceri Cardinalis Perſonii de Gratia ſenſus.* (2) *Jeſuitarum doctrina condemnata, Thomiſtarum vero approbata a Congregatione* de Auxiliis. (3) *Seſſ. 60. 61. 62. & 63. die 29. Ottob. 29. & 30. Novemb. an.* 1604. (4) *Remonſtrationes Jeſuitarum Rhemenſi Archiepiſcopo allatæ.* (5) *Ad Rom. cap. 1. v. 24.* (6) *Cap. 3. art. 8. Hiſt. Eccl. Sæc. 5.* (7) *Hiſt. Eccleſiaſt. Sæc. 13. & 14. Vol. 3. pag. 614.* (8) *Corinth. cap. 12. v. 7.* (9) *Sap. cap. 11. v. 17.*

ſter Parallelorum Auctor criminatur. Theologiam ſuam edidit, & ſperare integrum illi fuit, poſſe eam ad Eccleſiaſticos informandos juvenes, & ad illos juvandos utilem eſſe, qui in Sacro Miniſterio adhibentur, quandoquidem Deus ſuper illius opus benediceret, & Prælati doctrinæ Judices ipſius lectionem ſuo Clero commendare arbitrarentur. Gaudium, quod ex hoc Doctor iſte percepit, maximas eum cogit Deo reddere gratias. Plauſus, quem eſt hoc Opus conſecutum, ſociorum veſtrorum æmulationem eo perculit, ut nunquam deſierint detrahere, & Auctori bellum vel ferum, anno jam cum dimidio peracto, indicere. Nec eſt, quod dicatis, cauſam bello huic illum præbuiſſe; neminem enim, qui ejus opera leperit, latet, nimis ſane vobis eum perciſſe, & maximi, quandoque occurrit, vos feciſſe. Sed ſicut Philiſtæis (1) cordi fuit, quod fabri non eſſent in Iſrael, timentibus, ne vel tela, vel gladios vel alia hujuſmodi conderent; & quod Iſraelitæ ad ipſos perfugere deberent ad aratrorum vomeres, marras, ſecures, & ſarculos acuendos; ita Socii veſtri, Thomiſtarum nullum eſſe, optarent, qui de Dogmatica, & Morali Theologia ſcriberet, ut Eccleſiaſtici omnes coacti Auctoribus veſtris ſtuderent; & ſic Moliniſmus, Probabiliſmus, & hujus generis alia in Chriſti Eccleſia triumpharent. Sed, ſi ea Dei voluntas erit, Thomiſtarum Scholas probos ſemper Auctores pariet, qui ad errorem pugnandum, & ad Jeſu Chriſti Gratiam, & Moralem tuendam arma condent. Tot ſi ſunt (2) per Urbes, per Oppida, & per Pagos diſperſi Janſeniſtæ, prout P. Daniel probare conatur; „ unquam „ ſi res implicata, aut involuta magis, quam hodie, „ fuit fraude tot Pſeudo-Doctorum; ſi ſententiæ ubique junioribus venduntur Eccleſiaſticis veris & puris „ Catholicis omnino adverſæ; ſi eis celatum Janſeniſmi virus præbetur, ad eo ut illud ipſi clauſis deglutiant luminibus, quin ſentiant; ſi iis tota quinque Propoſitionum doctrina aliis ornata vocabulis porrigitur; ſi Janſeniſmo Thomiſmi ſpeciem referenti ſenſim ipſi inſtituuntur; ſi conſequentiæ omnes, omniaque iſtarum quinque propoſitionum principia ipſis „ ediſcenda traduntur; ſi, inquam, hæc P. Danielis declamatio omnis, quæ animis commovendis apta loquendi ratione novas ejus viſiones, vel potius ſomnia exprimit, vera eſſet; ſi ſermo hic omnis non eſſet injurioſus paſtorali Epiſcoporum noſtrorum vigilantiæ; Dogmatica (3) P. Alexandri Theologia omnimodo perutilis in hæc mala eſſet, & ſine veritatis injuria, Doctorem hunc vel ſatis Eccleſiaſticos contra Janſenii errores docere, atque prudentes reddere, poſſet affirmari. Ut perſuaſum hoc vobis ſit, RR. PP. mei, & ut omnes rationis compotes hoc ſentiant; liceat nunc mihi omnium oculis præbere veritates Catholicas quinque Propoſitionibus, & ceteris Janſenii erroribus contrarias, quas P. Alexander in Dogmatica ſua Theologia aſſerit, & decernit.

I. *Non omnes Infidelium actiones eſſe peccata.* (4) „ Adnotat hic Doctor errorem huic Catholico dogmati oppoſitum a Janſenio Yprenſi Epiſcopo in ſuo Lib. „ 4. *de ſtatu Naturæ corruptæ*; & a Michaele Bayo „ traditum ab Eccleſia in Pii V. & Gregorii XIII. „ Conſtitutionibus fuiſſe damnatum.

II. (5) „ Non ſufficere ad bene, vel male merendum in ſtatu naturæ corruptæ libertatem, quæ coactionem excludat, ſed libertatem requiri neceſſitati „ oppoſitam: Veritatem hanc dogma fidei eſſe, ſtatutum, declaratum, & confirmatum a Conſtitutionibus „ Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri „ VII. contra hæreſim Janſenianam.

III. (6) „ Poſſe Deum hominem in ſtatu puræ naturæ creare, ideſt gratiæ, & juſtitiæ originalis impotem: Doctrinam oppoſitam errorem eſſe Janſenii, „ & Bay ab Eccleſia damnatum.

IV. (7) „ Jeſum Chriſtum mortuum eſſe propter „ omnes homines & generatim, & ſpeciatim, non propter electos tantum: Et hanc Janſenii propoſitionem: Semipelagianus eſt, qui dicit, Jeſum Chriſtum mortuum eſſe, ſeu ſuum effudiſſe ſanguinem „ propter omnes homines, nemine excepto: (8) jure „ ac merito damnatam fuiſſe, ceu falſam, temerariam, ſcandaloſam, impiam, blaſphemam, detrahentem divinæ Bonitati, & hæreticam, a Summis „ Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII., atque

„ ab Eccleſia Univerſa, quæ debita cum veneratione, „ & obedientia eorum Conſtitutiones excepit.

V. (9) In ſtatu naturæ corruptæ nos ſæpe Gratiæ „ reſiſtere: Hanc eſſe fidei veritatem, & conſequenter „ hanc Janſenii Yprenſis Epiſcopi propoſitionem: In „ ſtatu naturæ corruptæ nunquam interiori gratiæ reſiſtitur: merito fuiſſe, ceu hæreticam, a Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. & ab Eccleſia Univerſa damnatam.

VI. (10) „ Dum Dei mandatorum obſervatio urget, „ Gratiam ea poſſibilia reddentem nulli juſto deeſſe: „ Hanc veritatem articulum fidei eſſe, ac proinde propoſitionem Janſenii: quædam Dei mandata impoſſibilia ſunt hominibus juſtis, tum etiam cum ipſi velint, & nitantur illa adimplere juxta vires, quas „ habent in ſtatu, in quo ſunt; & Gratia illis deeſt, „ quæ ea poſſibilia reddere debet: hanc, inquam, „ propoſitionem temerariam eſſe, impiam, blaſphemam, anathemate perculſam, hæreticam, & ut talem ab Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutionibus, atque ab Univerſalis Eccleſiæ execratione „ fuiſſe damnatam.

VII. (11) „ Non defuiſſe S. Petro Gratiam, qua ſequi, & confiteri Jeſum Chriſtum poſſet.

VIII. (12) „ Ignorantiam invincibilem peccatum „ non eſſe; quidquid per hanc ignorantiam fit, ad peccatum non imputari: Et errorem Janſenii eſſe ſententiam huic adverſam.

IX. (13) „ Illum lethalis pervicaciæ peccati reum „ eſſe, qui cum vel de fide, vel de Morali agitur, „ propoſitiones probare nititur a Conciliis, vel ab Epiſcopis, & præſertim a Summo Pontifice damnatas.

X. (14) „ Illum lethalis pervicaciæ peccati reum eſſe, qui damnationi propoſitionum ad fidem pertinentium, & in ſenſu Auctoris Librorum, a quibus „ eruuntur, juxta formulam a Sancta Sede Apoſtolica, & ab Epiſcopis præſcriptam, ſubſcribere renuit. “ P. Alexander autem, cum duas has poſtremas veritates per Traditionem probaverit, demum concludit, debere Eccleſiaſticos ſub pœna peccati lethalis formulæ damnationis quinque Janſenii propoſitionum ab Alexandro VII. præſcriptæ ſubſcribere.

Quæ nunc veſtrum ſententia, RR. PP. mei? Quid vobis videtur? Poterat ne magis P. Alexander Eccleſiaſticos cautos contra quinque Propoſitiones, alioſque Janſenii errores reddere? Et ſimplex hæc, atque ſincera expoſitio veritatum, quas Doctor hic in ſua Dogmatica Theologia edocet, an non ſatis, ſuperque eſt ad deſtruendas ineptas declamationes, & calumnias P. Danielis, & aliorum omnium, qui eum imitantes pro viribus illius Opus traducere, eoſque, qui illud non legerunt, decipere conantur, dicentes, ejus, & Thomiſtarum doctrinam Novatoribus favere, nec ſatis, quam par eſt, legentes tueri a Janſeniſmo?

At quoniam Propheta veſter P. Alexandrum arguit, non ſatis edocuiſſe Eccleſiaſticos, pro quibus de Gratia ſcripſit; abs re non erit, RR. PP. mei, vos, & vobiſcum omnes convincere, Doctorem hunc & ſtatuiſſe, & explicaſſe, quidquid credendum, & quidquid de Jeſu Chriſti Gratia eſt dijudicandum. En alias ejuſdem propoſitiones.

XI. (15) „ Deum neminem neque derelinquere, nec „ rejicere, neque damnare, niſi homo hoc ſuis peccatis mereat.

XII. (16) „ Salvos Deum omnes homines velle. “ Hic autem S. Pauli textum, cui hæc Catholica veritas nititur, explicat juxta tres diverſos S. Auguſtini ſenſus; & S. Joannis Chryſoſtomi, S. Joannis Damaſceni, & S. Thomæ declarationem addit; & erroneam Semipelagianorum interpretationem rejicit: & tandem ſubjungit „ Deum omnium ſalutem velle, non ſolum „ ut Creator optimus, quemadmodum Lugduni Eccleſia dicit in ſuo Libro, cui titulus *Des Trois Epitres*; ſed & ut optimus Redemptor, qui ſanguinem „ pro humani generis ſalute fudit, veluti Deum inter, & homines Mediator.

XIII. (17) „ Habere Gratiam ſuam efficaciam a Dei „ omnipotentia. “ Et hanc confirmat veritatem auctoritate Sacrarum Scripturarum, & S. Auguſtini. Sed nihil intereſſe arbitratus eſt quæſtiones pertractare, quæ in Scholis de hac efficacia exagitantur; animadvertit

enim

(1) *Lib. 1. Reg. cap. 13.* (2) *VIII. Epiſt. ad P. Alex. pag. 4. & 5. & X. Viſio P. Danielis.* (3) *P. Alexandri Theologia ſatis prudentes contra errores Janſenii Eccleſiaſticos reddit.* (4) *Tom. I. pag. 39. & 40.* (5) *Tom. I. pag. 96.* (6) *Tom. I. pag. 215.* (7) *Tom. I. pag. 472.* (8) *Pag. 484. & 485.* (9) *Tom. I. pag. 496. & 498.* (10) *Pag. 498. & 509.* (11) *Pag. 504.* (12) *Tom. VII. pag. 296. & ſeq.* (13) *Tom. VII. pag. 490.* (14) *Pag. 493. 494. & 495.* (15) *P. Alexander, quidquid ſcire neceſſarium eſt de Gratia, in ſua Theologia ſtatuit.* (16) *Tom. I. pag. 102.* (17) *Pag. 147. & ſeq.*